
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
7 G
52

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu



Studij Leodiensis
Emptus a me duobus
Julijs pro memoria hac
7a maij 1689.

Joannes Scribani
Leodius.

Digitized by Google

8 - 7 C^L 115

HISTORIÆ LEODIENSIS UNIVERSÆ COMPENDIUM

IN ANNOS DIGESTUM.

Editio altera emẽdata, & auctior.

Pauciloqua Veritas.

LEODII,

Typis Joannis Mathiæ Hovii.

M. DC. LV.

Superiorum permiſſu.

NOBILIBUS
AMPLISSIMISQUE
DOMINIS
D. ERASMO FOULLON
SERENISS. SUÆ CELSITUDINIS
CONSILIARIO
IN CONSILIO PRIVATO
ET
CURIA FEUDALI
EIUSDEMQUE IN EA CAMERARIO &c.
ET
D. FERDINANDO
BEECKMAN
TOPARCHÆ DE VIEUXSART
ET OIGNIES &c.
INCLYTÆ
CIVITATIS LEODIENSIS
COSS.

OPusculum hoc, quod nuper editum in lucem paucorum menſium ſpatio non parum

adolevit, iterum mihi tranſcripsêre, qui collatitiam operam naſcenti, creſcētive adhibuerunt. Meus itaque partus eſto, non generationis jure, ſed nativitatis in meo, vel adoptionis: imò veſter eſto potiùs, NOBILES ATQUE AMPLISSIMI DOMINI, cùm veſtrum utriuſque nomen in fronte, quando primùm oriebatur, prætulerit. Fas enim non eſt adultum illis, quibus naſcens mancipatus fuit, eripere: neque, ut fas ſineret, ego tamen, pro meo in vos ac patriam obſequio, & affectu voluerim. Dignitate collegæ, labore ſocii, bene-

benevolentiâ fratres, in omnia civitatis commoda, & ornamenta cùm electione, tum voluntate conjuncti, Conſules duos exhibetis, aut unum è duobus, quia unanimi ad bonum conſenſu unus magis eſſe, quàm duo, videmini. Veſtras uterque dotes & animi bona, ſeu quæ natura dedit, ſeu quæ uſus firmavit, ita confertis & contemperatis: ut ſit utriuſque, quod alterutrius eſt, communiſque amborum opera cenſeatur. Stetêre ab ipſis initi Magiſtratus auſpiciis cõcordiæ veſtræ monimenta. Vidimus reſumptas publicorum

rum operum inſtaurationes: reparando ſimul ponti, & navigationis commodo admotas manus: obſtructas mœnium, ac platearũ labes: amputatas edaces cauſſas, verſosque illarum ſumptus in alimenta operarum: reſtrictas inanes, & faciles de ærario publico largitiones: illatam tribulium quæſturarum rationibus lucem: ſordes, quæ ſeſe fœdo ambitu in ipſas artificum præfecturas, aliaque urbana miniſteria, infuderant, expurgatas: ſopitam Cõmiſſariorum cum civico Conſilio litem: lenitos opificum queſtus, ſublevataque

vatáque onera ſine onere Civitatis: hoſpitaliũ domuum rationes diſpoſitas, curatamque publicæ inſtar rem pauperum. Inter hæc cives, tributim in domum Civicam convocatos, adduxiſtis, ut tribuum proventus, qui ferè inter paucorum manus peribant, ad Civitatis neceſſaria & commoda obſtringerent, tanta conſenſione, quanta ſemper optari debuit, vix umquam ſperari potuit. Sentiebant nimirum, nihil vos in communi bono, niſi commune bonum quærere, nec privato commodo publicæ utilitatis ſpeciem

 obten-

obtendere. Sciebant nîl aggredi, niſi ex SERENISSIMI PRINCIPIS noſtri voluntate, & decretis: ab eo, velut à capite, ut par eſt, pendere: ipſi *Pacem publicam*, adeoque opera pacis omnia ferre accepta, ut fons ipſe ſit laudis veſtræ, quemadmodum & dignitatis. Videbant veſtrã, erga Perilluſtre Capitulum Leodienſe, Clerumque univerſum obſervantiam, & perpetuam cum aliis Ordinibus conſenſionem. Ita fideli obſequendi ſtudio cum PRINCIPE connexi, cum Patriæ primoribus affectu devincti, caritate inter vos colli-

colligati; civibvs, quam amatis, & excolitis ad commune bonum, concordiam perſuaſiſtis. Extollet hoc præſertim opus grata poſteritas, & poſt SERENISSIMI PRINCIPIS, Eccleſiæque Leodienſis, nomen cantatum, veſtra quoque memorabit: & poſtquã fauſtis apprecationibus ingeminârit MAXIMILIANO HENRICO BAVARO *debitum*, quod à Majoribus noſtris *Henrico Primo* datum eſt, *Amabile* PACIFICI *nomen*; apertis ſibi votis optabit Conſules, in veſtra, veſtrique ſimilium exempla ituros. Quamquam & modò

præveniuntur vota poſterorum, clàriſque vocibus in annos ſequẽtes expetuntur, quos ab impreſſis præeũtium veſtigiis non avocet cupiditas, non retardet infirmitas: qui Civitati magis quàm ſibi conſulendo, ſint Conſules munere, curâ Tutores, affectu Patres. Laudes ipſi veſtras nec dictatis, neque ambitiosè conquiritis, tamque à vana venditatione vos arcet prudens modeſtia, quàm ab emolumentis privatis cõtinet incorrupta integritas. Debet tamen laudem publica gratitudo: & tantò magis, quantò minùs exigitur. Ra-

rus,

rus, cui in rectè pro republica factis ſufficit conſcientia rectè factorum, & Dei, cujus nomini in publica re maximè ſervitur, approbatio. Etſi Deus non rarò auctarii loco, teſtimonium communis approbationis gaudet adjicere. Illâ contentis, hanc acceſſiſſe, gratulantur boni omnes: & ego rursùs in partem gratulationis venio, iterumque inſcripti vobis hujus Compendii publicam teſtificationem confero

NOBIL. ATQUE AMPL. DD.

Humilis Servus

JOANNES MATHIAS HOVIUS.

6. Calend. April.
eraſMo & fernanDo ConsVLe:

NE hac quidem editione ſcript riis ullius nomen Compend noſtro præfigere, ut multi expetebā potuimus. Etſi enim ſciant non pauc ecquiſnam potiſsimas in eo concin nando partes, quorum intererat pe miſſu, habuerit: quia tamen alii etia alia contulerunt, totum ſibi tribue nec voluit, nec debuit; ne vel appro bationem, ſi quam apud benevol publicus labor mereretur, ſolus aufer ret; vel impugnationem, ſi qua forſa aliunde concieretur, ſolus exciperet.

Præcipua autem edendi cauſſa fuit ut qui, tædio longorum voluminu legendorum, in domeſtica hiſtori peregrinantur, ſibi, non magno tem poris diſpendio, cognitionem reru omnium parare poſſent. Deinde, ut quibus otium aut voluntas prolixiore libros percurrendi non deeſſet, habe rent memoriæ ſubſidium, aut invita-

mentum

mentum ad lectionē ampliorū hiſtoriæ. De utilitate itaque publica privataq́ hujus Compendii dubitaverint, qui hiſtoriam neſcient actionis ex cognitione ducem eſſe, magiſtramq́ faciendorum juxta & fugiendorum.

Aſſequendo fini noſtro, brevitatem, quantum fieri potuit, ſecuti, ſimul claritati ſtuduimus, & ſingula ſæculis ſuis atque annis digeſſimus. In chronologia, temporúmve diſpoſitione, ubi nos priſcorum ſcriptorum auctoritas, & ratio, defecêre, probatiſſimos ex recentioribus ſequi oportuit. Ita in D. Materni annis factum eſt: à quo mortem Treviris obitam indicavimus, quia Harigeri narratio id non obſcurè innuere videbatur. Per nos tamen licebit, ut Coloniæ mortuum dicat, qui Ægidium præ Harigero amplecti voluerit, tantæq́ fidei faciet, ut Eccleſiæ Leodienſi leges ferre poſſit quaſi traditæ ab antiquo veritatis.

De

De Divis Præſulibus quindecim, c
D. Navito, ſcripſimus quod plure
ſcripsêre, etſi non neſciremus aliquan
eſſe in ea ſententia difficultatem, u
neceſſe eſt in tam longè ſemotis, &
in tanto ſilentio literarum. In D. Servatio, cur aliquando ab aliis diſceſſerimus, ipſa ferè rerum ſeries indicabit. De D. Amandi, aliorumq; Divorum Præſulum ad D. uſque Florebertum annis, nîl mutandum cenſuimus: donec, qui novum aliquid abſe inventum arbitrantur, id ratione demonſtrârint. Nova enim afferentibus, quatenùs probaverint, eatenùs fides habenda eſt: quia ſua cuique blandi[illegible] ſolet opinio, & ſæpè ingenii ſui amatoribus placet pulcra falſitas, præ ſolida veritate.

In rerum delectu id ante omnia ſpectatum eſt, ut nihil à veritate alienum diceretur, nîl dicendum ſileretur, quantum Compendii brevitas

ſinit.

ſinit. Eam ob cauſſam, cùm Scriptoribus externis ætatum omnium uſi ſumus non paucis, tum domeſticis, quotquot nancıſci potuimus utravis linguâ, manuſcriptos editóſve. Nomina illorum ætatemq́; adſcripſimus, & non rarò quid unde hauſtum ſit annotavimus: ut ſi quis ſe, ſuorúmve quidpiam, quod minimè voluimus, læſum arbitrabitur, non nobis tribuat, ſed ſcriptorum fidei, quæ ſequenda fuit, niſi delectabat falli & fallere, voluptas inſana.

Ex fontibus iiſdem, variiſq́; multorum obſervationibus & annotationibus, mutata ſunt quædam hac editione, adjecta multò plura, non ornatûs tantùm cauſsâ, ſed etiam elucidandæ veritatis. Inter hæc acceſſêre familiarum quarumdam origines, & illuſtriū, etiam in privatis, facinorum cōmemoratio. Neque enim, vel inter iſtiuſmodi Scriptionis anguſtias, viſum

eſt

Quem roſa necat, ſcarabæus eſt.
Quẽ aliena laus cruciat, quid eſt?

Cæterùm, ſi quid adhuc deeſſe videbitur, & verò aliter fieri humanitùs non poteſt: qui operã contulêre, nondũ manum tollunt de tabula, & ſinceros monitores attenti, gratiasq́; acturi, expectant, ac deſiderãt. Meritò tamen de larvato neſcio quo Hæduo, Hædóve *cornupeta, conquerẽtur, qui tã humaniter ad monendũ invitatus, obtrectare clam palámve maluit. Qui cũ ſe vindicẽ ferat, nuſquam ex deſtinato perſtrictæ, ſæpè de induſtria cõmendatæ ſacræ libertatis, joculator quiſpiam* Bruto *illi nomen potiùs, quàm* Bertrando, *fecerit. Nam proditis ab ipſo*

ſtatim

ſtatim initio inſinceris affectibus: objectis magno hiatu, pro inexpiabili ſcilicet noxa, oratoriis aliquot, nec noſtris quidem, voculis, quas in bonã partẽ interpretaretur ſuavis humanitas: diſſimulatis, quæ ad religionis, Eccleſiæ, Cleri omnis, patriæq́; univerſæ dignitatem, paſſim afferri annotaſſet oculata æquitas: capita denique omninò ſex, de tam denſa materia, vexat quantum poteſt, eorumq́; tria nihil prorſus ad titulum quem ſibi aſſuit, attinentia. Quid autem de illis ſentiamus, ipſe & hinc, & aliunde locis ſuis intelliget: ſimúlque videre poterit, civiliùs acturũ ſe fuiſſe, ſi monitorum humaniorũ exempla potiùs, quàm impetum ſuum ſequi voluiſſet. Hæc ſemel iſti dicta ſint, bonâ Lectoris *ſapientis ac benevoli veniâ, quem, ſive errata noſtra prudenter excuſet, ſeu leniter accuſet, amabimus: quia nobis* cara veritas eſt, ubi vera caritas eſt.

SCRIPTORES RERUM LEODIENSIUM QUI IN HOC COMPENDIO NOMINANTUR.

Æ Gidius, Aureævallis monachus, ſcripſit, Sæculo decimo tertio, res Epiſcoporum Leodienſium: editus eſt à Chappavillæo.

Anſelmus, Canonicus Leodienſis, ſeu Lambertianus, ſcripſit Sæculo undecimo, præſertim res ævi ſui: editus ab eodem.

Bononius, ſive *Oliverius de Boulogne*, primus Conſilii Ordinarii Scriba, res Leodienſes ex vulgaribus Manuſcriptis pertexuit ad ætatem uſque ſuam, easque etiam redegit in compendium. Manuſcripta ſervant hæredes.

Bruſtemius, ex Franciſcanorum Ordine, edidit, Sæculo decimo ſexto, Vitas Pontificum Leodienſium.

Chappavillæus, ſive *Chappeavillus*, aut *Chappeauville*, Vicarius Leodienſis, edidit ævo noſtro veteres Scriptores rerum Leodienſium, & pertexuit ad Ferdinandum uſque.

Fizen, Bartholomæus, è Societate JESU, edidit nuper Flores Eccleſiæ Leod. & primam Hiſtoriæ partem.

Fulcuinus, Abbas Laubienſis, ſcripſit, Sæculo decimo

decimo res ævi ſui, continuatus ab Hugone Priore Laubienſi. Aſſervatur Manuſcriptus in Laubienſi Monaſterio.

Goteſcalcus, Canonicus Leodienſis, ſcripſit Sæculo octavo Vitam D. Lamberti, editam à Chappavillæo.

Harigerus, Abbas Laubienſis, ſcripſit, exeunte Sæculo decimo, Antiquitates Tongrenſes: editus ab eodem.

Hemricurtius, ſcripſit, exeunte Seculo decimo quarto, de nobilitate Hasbanica, & alia quædam. Habetur à variis Manuſcriptus.

Hocſemius, Scholaſticus & Canonicus Leodienſis, ſcripſit, Sæculo decimo-quarto, res præſertim ætatis ſuæ: editus à Chapp.

Leges Salicæ, editæ ſunt cum Commentariis à Godefrido Vendelino, nuper Hercano Paſtore, nunc Canonico Tornacenſi.

Manuſcripti, varii circumferuntur, incerto nomine, non dubiæ tamen auctoritatis in rebus ævi ſui. Ex iis *Hiſtorici populares*, ſeu *vulgares*, multa ſumpſerunt.

Nicolaüs, Canonicus Leodienſis, ſcripſit, Sæculo duodecimo, Vitam D. Lamberti, meritóque creditur idem eſſe Scriptor Triumphi Bullionenſis editi à Chapp.

Notgerus, celeberrimus Leodienſis Epiſcopus, ſcripſit, exeunte Sæculo decimo Vitas Divorum Remacli & Landoaldi, editas à Surio.

Placentius, ex Dominicanorum Ordine, edidit, ævo Erardi Marcani, Catalogum & Vitas Antiſtitum noſtrorum.

Radul-

Radulfus de Rivo, Decanus Tongrenſis, ſcripſit, Sæculo decimo-quarto, res ætatis ſuæ: editus à Chappavillæo.

Refutatio, ſeu Liber de Principis jure, exhibet multa diplomata, & varia hujus ævi.

Renerus, Monachus ad D. Jacobi, ſcripſit, Sæculo decimo-tertio, res ævi ſui. Habetur Manuſcriptus in Monaſterio Jacobenſi.

Rodolfus, Abbas Trudonenſis, vixit Sæculo duodecimo, & varia ætatis ſuæ ſcripſit. Aſſervatur Manuſcriptus in Monaſterio Trudonenſi: cujus Commentarios domeſticos alii deinceps, ad hanc uſque ætatem, continuavêre.

Stabulaüs, monachus ad D. Laurentii, res omnes Leodienſes Latinè deſcripſit uſque ad annum Sæculi decimi-quinti quadrageſimum nonum. *Continuator*, qui Borbonii ævo rebus gerendis interfuit, & à Placentio vocatur Joannes Loſſenſis, Abbas, apud alios etiam Stabulaï nomine venire ſolet. Aſſervatur Manuſcriptus in Monaſterio Laurentiano, & alibi.

Stephanus, Epiſcopus Leodienſis, ſcripſit Sæculo decimo Vitam D. Lamberti, editam à Chappavillæo.

Suffridus Petri, natione Friſius, ſcripſit Sæculo decimo-ſexto: editus à Chappavillæo.

Tabulæ publicæ, aſſervantur in Archiis variarum Curiarum, & Tribunalium, unde quædam hauſimus.

Theodoricus, Abbas Trudonenſis, mortuus Sæculo duodecimo ineunte, ſcripſit inter alia

Vitam

Vitam D. Trudonis, editam à Surio.

Tranſmoſanus, ſeu *Pratanus*, ſcripſit vulgari lingua res omnes Leodienſes, ad finem uſque Sæculi decimi-quarti. Habetur paſſim Leodii Manuſcriptus, & à variis continuatus, ad noſtram uſque ætatem.

Varnantius, quem alii *Warnantium* ſcribunt: nos & in ejus nomine, & in aliis omnibus ejuſmodi vocabulis, maluimus, bonâ Lectoris veniâ, omittere duplex W, quam literam Latina lingua, & aliæ pleræque ignorant. Vocatur & à quibuſdam *Joannes Presbyter*. Scripſit, Sæculo decimo-quarto, res Leodienſes Latinè. Habetur à variis Manuſcriptus.

Zantflitius, monachus ad D. Jacobi, ſcripſit Sæculo decimo-quinto. Aſſervatur Manuſcriptus in Monaſterio Jacobenſi.

EXPLI-

NOMINUM QUORUMDAM, Quæ obſcura quibuſdam videri poſſent.

ACrimons. Aigremont, vel, ut in geographicis tabulis habetur, *Eggermont*, caſtrum.

Amerina curia. Amer-cour: quod nomen ab amaro corde perperàm vulgus deducit.

Arceiæ. Arches, nunc Carolopolis ad Moſam.

Argentæa. Argenteau, caſtrum.

Avantium. Awans, vicus, & familia.

Beliſia. Bilſen, oppidum.

Belloſagetum. Beaufais, cœnobium.

Boſnovium, olim *Waſnadium*, natalis domus Hugonis Petrapontii in Ardennâ.

Boviniſter. Bouvigniſtier, vicus, & familia.

Bronium. Brogne, hodie *S. Gerard*, cœnobium.

Cambianus. Des-Changes, familia.

Cennacum. Ciney, oppidum.

Corneus. De Coir, familia.

Domina-vallis. Vaux Noſtre Dame, cœnobium.

Fontenſe caſtrum. Fontaine l'Eveſque, oppidum.

Fura. Treveure, vicus.

Geldonia. Iodogne, oppidum.

Grivenacum. Grivegnaye, vicus.

Hervartium. Herwart, caſtrum.

Inda. S. Cornille, cœnobium.

Interamnis, ſeu *Interamnenſis regio. Pays d'entre Sambre & Meuſe.*

Iovis-mons, aliis, *Montegaudium*, vel *Mongavia*, *Mont-joye*, oppidum, & regio in finibus Juliacenſibus.

Lagium. Lewage, vicus.

Lamberti-vallis. Vaux S. Lambert, cœnobium.

Lavato-

Lavatorius. *Du Lavoir*. familia.
Levia. *Liewes*, oppidum.
Lupiſitus, *Lupy*, ſeu, ut quædam tabulæ g-
graphicæ ſcribunt, *Loupy*, oppidum
Carum fluvium.
Magdera. *Maidieres*, vicus propè Metas.
Martiana. *Marchennes au Pont*, oppidum.
Martiæ Dominarũ. *Marche les Dames*, cœnobiũ.
Mirevartium. *Mirwart*, caſtrum.
Montevirolium. *Montvireux*, caſtrum.
Monti-ſuperbia. *Mont-orgueil*, turris.
Pagani porta. *Payen-porte*, olim propè Valbur-
giam portam.
Pannetius. *Pannetier*, familia.
Perviciacum. *Perwez*, vicus.
Pilovacca. *Poilvache*, oppidum.
Porzetum. *Borſet*, cœnobium.
Quinquemiſilva. *Quinquem-bois*, ſic enim an-
tiqui Manuſcripti habent, quod hodie
Quiquepois corruptè effertur.
Seranium. *Serez*, vicus & familia.
Suarium forum. *Verkecour*, ubi nunc macellum
eſt Leodii: quod quidã non ita aptè putâ-
runt legendũ *Veſquecour*, quaſi *Eveſque-cour*.
Tudinium. *Thüin*, urbs.
Turrina. *Tourines*, vicus.
Vazium. *Weyz*, caſtrum.
Valſiodorum. *Waſore*, cœnobium.
Varnantum. *Warnans*, vicus.
Varuſii. *De Waroux*, familia.
Verta, *Weert*, oppidum. In iſtiuſmodi nomi-
bus, duplex W, uti præmonuimus, omit-
titur, quia pleriſque linguis ignotum eſt.

APPRO-

APPROBATIO ORDINARII.

CUm hoc Compendium Hiſtoriæ Leodienſis nihil contineat Religioni, & bonis moribus adverſum, imprimi poteſt. Datum Leodii, 25. menſis Octobris 1654.

JO. A CHOKIER, *Vicarius Generalis Leod.*

HISTO-

HISTORIÆ LEODIENSIS UNIVERSÆ COMPENDIUM IN ANNOS DIGESTUM.

RES GESTÆ ANTE NATUM CHRISTUM

ANNO 614. Galli, abundante multitudine, migrant in exteras regiones trans Alpes, & ſilvam Herciniam. Inter illos videntur ulti ex ea gente fuiſſe, quæ ante urones ſolum Leodienſe inhabita- t, cùm non longè abeſſet à Rheno, uem ferè Galli cæteri ad ducendas co- nias tranſiêre. Ea gens unde originem axerit, fruſtra eſt diſquirere, nullo ad

invenien-

inveniendum veſtigio. Nam quod aliqui rudium ſæculorum ſcriptores etiam huc Trojani excidii reliquias, ac cineres ſparsêre, & exinde Tongricanos Reges proſeminavêre, otioſis fabulatoribus relinquimus.

ANNO 300 ante Chriſtum, aut circiter, neque enim certum tempus ſtatui poteſt, Eburones, id eſt, ut non malè quidam exiſtimavêre, ulterioris terræ populus, ex Tranſrhenana regione immigrant in Leodienſe ſolum, languente priſcorũ Gallorũ virtute,&propulſandis in limites irruptionibus impari. Quidquid *Cæſar* parùm cõſtanter,& ob legionis ſuæ cladem Eburonibus iniquus ſcripſerit: gentem fuiſſe florentẽ &numeroſam, ex eo conficimus, quòd *Tacitus* libro de moribus Germanorum ſignificet, apud illos Tongrósve, ſic enim ævo *Taciti* nominabantur, ortum Germanorum nomen, poſtmodùm Tranſrhenanis omnibus commune. Non fuerunt clientes, ſed ſocii Trevirorum: nam quod *Cæſar* ſcribit, *Eburones, & Condroſos, qui erant Trevirorum clientes*, ea clientela Condroſos tantùm reſpicit, teſte *Cluverio*, externo re-

rum

rum Germanicarum Scriptore.

103. Cimbrorum Teutonumq; Tranſrhenanorum populorum à Romanis cæſorum, reliquiæ Advatici appellantur, & Advatucam ſeu Atvaticam urbem, quæ poſtmodùm Tongris dicta eſt, condunt: conſident propè Eburones, eoſque tamdem tributis ſubjiciunt.

57. Eburones, eorumque Socii, Condroſi, Pæmani ſeu Famenni, & Cæreſi, qui omnes, teſte *Iulio Cæſare*, communi nomine appellabantur Germani, id eſt, ex quorumdam ſententiâ, prorsùs viri: ii ergo cum Belgis aliis in Cæſarem conſpirant, & quadraginta armatorum millia pollicentur.

56. Vincuntur à Cæſare Belgæ. Advatici opprimuntur: liberantur Eburonum apud eos obſides; in his Ambiorigis, Eburonum reguli, filius.

54. Uſipetes & Tenchteri, Tranſrhenani populi, à Rheno ad Condroſos excurrunt, vincuntur à Cæſare.

[illegible]ionem Romanam, ad Vatu[illegible] Trevirorum impulſu, cæduni[illegible]na concitant: cum iis à Cæſaro vincuntur, ad Q. Cice-

ronis caſtra propè Sabim flumen. Vatuca trans Moſam fuiſſe debuit, quantum ex locorum poſitu, & *Cæſaris* narratione intelligitur. Ait enim Sicambros, tranſito Rheno, ad Vatucam curſu veniſſe, tranſiti Moſæ mentione nullâ: eoſdem Sicambros ex captivis, quos ad extremos fines Eburonum ceperant, didiciſſe, Vatucam caſtraque Romanorum vix inde tribus horis diſtare. Commodiſſimè itaque à quibuſdam ponitur Trajectum inter, & Aquaſgranias, ubi nunc eſt Vittemia, & Caſſella: ſunt & qui Vatucam arbitrentur fuiſſe ad Vezam torrentem.

52. Eburones horrendè per Cæſarem vaſtantur; Cativulcus regulorum alter vitam abrumpit: effugit Ambiorix, maleſani conſilii auctor, bellique incentor ac ductor. Quid illo factum, nuſquam traditur. Ex fugâ tamen conficitur, ſuperſtitem fuiſſe funeribus ſuorum & exitio patriæ, caviſſeque ne periret, qui alios perdiderat. Ambiorigis domum, de qua *Iulius Cæ*[illegible] loco fuiſſe putamus [illegible] altero ab urbe [illegible] lapide, nomē Ambiorigis ſonans, vulgoque Eburonia dicitur.

51. Gallis fermè omnibus in Ro-
nos conſpirantibus, Eburones, qu-
tumvis vaſtati, tria militum millia ſ-
mittunt, & ad eumdem ſcopulum in-
pingunt, perire certi, quibus ſem-
periſſe non ſuffecerat.

50. Poſt infauſtam expeditionem,
iterum Eburones Cæſaris juſſu vaſtan-
tur: exinde eorum nomen ſenſim ob-
literatum, & Tongrorum denique ap-
pellatione mutatum.

42. Octavius Cæſar Auguſtus, poſt
occiſum Julium Cæſarem, vindicatâ
ejus cæde, imperat: res imperii paula-
tim ordinat: Belgium in partes qua-
tuor dividit: Belgicam primam, in qua
Treviri: Belgicam ſecundam, in qua
Rhemi: Germaniam primam, ubi Mo-
guntia, & populi ad citeriorem Rheni
ripam ſurſum: Germaniam ſecundam
ſive inferiorem, ad Rheni inferiora. In
hac fuêre Tongri, quos Advaticorum
Eburonumque reliquias fuiſſe, vel ex
regione Tranſrhenana in Eburonum
ſedes ab Auguſto evocatos putamus.
Crevit eo tempore Advatuca ſive At-
vatica Tongrorum, quæ nunc gentis
nomen retinet: Octaviam ab Auguſto

 dictam

dictam fuiſſe quidam ſcripsêre, ſed auctore nullo ex priſcis. Quæ autem de ejus urbis mirâ magnitudine, & Oceano ad mœnia alluente, vulgo apud imperitos circumferuntur, ad fabulas ablegamus. Conſtat tamen, ex *Ammiano*, Romanis temporibus *civitatem Tongrorum amplam ac copioſam* fuiſſe.

Paullò ante Chriſtum natum, pace domi foriſque partâ, munitis Imperii clauſtris, diſtinctis provinciis, populorum ac civitatum finibus deſcriptis, Auguſtus, aliud agens, ſedes Chriſtianæ religioni parabat, & limites Epiſcopatibus præfiniebat; in his Tongrenſi. *Ita Dei conſiliis homines, quamvis inſcii & inviti, famulantur.*

SÆCULUM CHRISTIANUM PRIMUM.

JESUS CHRISTUS naſcitur anno quadrageſimo ſecundo Auguſti, ex vulgatâ *Dionyſii Exigui*, Abbatis Romani, chronologiâ: quam licèt triennio vel quadriennio toto aberrantem, ut doctiores exiſtimant, hîc tamen ſequimur, cùm Orbi toti Chriſtiano jam

pridem

pridem communis ſit.

34. Chriſtus moritur, ex com
veriorique ſententiâ, ætatis anno t
ſimo quarto.

45. D. Petrus Romæ ſtatuit premam Eccleſiæ ſedem: alii anno qu dragesimo quarto conſignant.

52. Româ D. Eucharius à D. Petr mittitur in Belgium, ſociis Valerio & Materno: Maternum poſt quadrageſimum à morte diem, baculo D. Petri contactum, ſuſcitat: conſtat id ex Scriptoribus antiquiſſimis, & indubitatâ populorum Rhenanorum, Moſellanorum, & Moſanorum fide, ab omni retrò memoriâ.

71. Duæ cohortes Tongrorum Vitellianæ cum præfectis ſuis, fortiter ſuſtentatâ pugnâ, ab Ottonianis cæduntur, in provinciâ Narbonenſi.

72. Claudio Civili Batavo adverſus Romanos rebellanti, cohors Tongrorum, paulò poſt tota gens, ſe adjungit. Per Fabium Priſcum motus apud Tongros componitur. Trajectum paullatim formatur, eo loco, ubi copiæ Romanorum Moſam trajicere ſolebant, ducente illuc viâ militari, ſive calciatâ.

Celebrabatur ſub hæc tempora fons Tongrorum, pollens vi medicâ. Spadanos fontes quidam veroſimillimè interpretantur, cùm dici poſſint fuiſſe intra fines civitatis ſeu populi Tongrenſis, & in eas notæ, à *Plinio* deſcriptæ, conveniant. Supereſt tamen fons inſignis extra pomærium antiquæ Advatucæ Tongris que hodiernæ, ad Spadanas aquas accedens acido ſapore, & rubeâ alvei tincturâ. De eo fonte ſi qui *Plinium* agere contendent, nobis contra multum pugnare conſilium non eſt.

90. D. Valerio, D. Eucharii in Epiſcopatu Trevirenſi ſucceſſore, mortuo, D. MATERNUS ſufficitur.

92. Ubiis fidem promulgat Maternus. Coloniæ Agrippinæ Epiſcopatum condit.

100. Ex Ubiis Maternus venit in Tongros: Advatucæ Tongrorum D. Virgini ædem ponit, forſan omnium primam cis Alpes: Epiſcopatum ibidem condit. Ita ab omni retrò memoriâ traditum, & pro indubitato habitum eſt.

SÆCU-

SÆCULUM SECUNDU[M]

101. D. Maternus Chriſtian[os] Advatucenſes excolit.

104. Maternus, fide Advatucæ fi[r]matâ, in Tongrorum ditionem & confinia excurrit, Trajectum, Huum, Cenacum, Namurcum, aliaque loca, ſive tunc oppidula, ſeu viculi tantùm fuerint.

130. D. Maternus circiter centenarius Treviris moritur, ac ſepelitur apud Divorum Eucharii ac Valerii corpora. Succedit Auſpicius, alii deinde quatuor-decim Trevirenſes Epiſcopi Martyres. Tongrenſes etiam Epiſcopi Mar[tyres] poſſint: non tamen dicuntur, quia nec diu rexêre, nec Tongros commodè viſere potuerunt, difficillimis, ob dira in Chriſtianos edicta ac bella, temporibus: Navito interim Sacerdote rem Chriſtianam apud Tongros, vicarii in[ſ]ſtar, curante.

180. D. Navitus, quindecim Epiſcopis Trevirenſibus brevi ſublatis, ſenex, virtutis commendatione, ad Epiſ[copatum]

 co[...]

copatum Trevirenſem, Tongrenſemque, vocatur.

190. Navito defuncto ſuccedit D. MARCELLUS Trevirenſis Epiſcopus, & ſimul Tongrenſis III.

195. Pertinax Imperator à Tauſio, è Tongris Prætorianis uno, interimitur: Julianus fit Imperator Romæ, Albinus in Galliâ. Juliano occiſo, Severus Imperator cum Albino paciſcitur.

199. Vincitur Albinus à Severo, & in pugnâ cadit. Per hæc Cæſarum inter ſe civilia certamina, Galliam laceratam fuiſſe, & Tongrenſem regionem multa paſſam, res ipſa loquitur.

SÆCULUM TERTIUM.

200. INterim dum de imperio certatur, & conflictatur res civilis, ſtatus rei Chriſtianæ in Galliis fuit quietior, & longè diutiùs tunc Epiſcopi vixerunt, quàm antè, cùm odia Cæſarum & Præſidum in Chriſtianos fervetent, & ubique Patres Chriſtianæ plebis ad necem quærerentur.

217. D. METROPOLUS, fit Trevirenſis Epiſcopus, & ſimul Tongrenſis IV.

Anni

251. D. FLORENTIUS Trevirenſis Epiſcopus, & ſimul Tongrenſis VI. Horum aliorumque Præſulum res geſtas, vel inopia ſcriptorum poſteritati ſubtraxit, vel temporum infelicitas invidit. Poſteriores aliqui ſcriptores de eorum natalibus & gentilitiis inſignibus tradidêre, ſed veri ſimilitudine nullâ, cùm neque iſto ævo inſignia gentilitia eſſent, nec familiarum hæreditarii tituli.

262. Poſthumius, per Valeriani captivitatem apud Perſas, & Gallieni ſocordiam, ruente re Romanâ, ſumit imperium in Galliis, barbaroſque irrumpentes & graſſantes comprimit.

264. D. MARTINUS Trevirenſis Epiſcopus, & ſimul Tongrenſis VII. Hasbaniæ Apoſtolus: malè ab ruſticanis habetur, & miraculis celebratur.

269. Lollianus in Galliis arripit imperium: tum alii per annos ſequentes.

271. Franci

271. Franci per Galliam vagantur: pars in ſolum Romanum accepti: pars in Oceano piraticam exercent. Hæc prima in hiſtoriis Romanis de Francis mentio eſt, Germanicâ gente non procul à Rheno, ad ripæ ulterioris partem inferiorem: ita doctiores ex eorum in Gallias irruptionibus, & coloniis in Bataviam Taxandriamque immiſſis, conficiunt. Sub hoc tempus fatidica Druis, ſeu mulier vatem agens, militanti apud Tongros pro Romanis Diocletiano vaticinatur imperium, cùm aprum occiderit, ut *Vopiſcus* narrat in Numeriano.

276. D. MAXIMINUS Trevirenſis Epiſcopus & ſimul Tongrenſis VIII.

280. Probus Imperator Chrocum Alemannorum Regem ſuperat, barbarorumque cum ipſo per Galliam vagantes copias trans Albim ſubmovet.

284. Occiſo fatali Apro, Præfecto prætorii, Diocletianus fit Imperator.

286. Maximianus fit Diocletiani collega. Francos partim trans Rhenum abigit, partim per Belgium ſpargit; ad exercendos agros cultoribus vacuos, ob aſſiduas barbarorum incurſiones.

289. D. VALENTINUS Trevirenſis Epiſcopus

Epiſcopus, & ſimul Tongrenſis IX.

292. Conſtantius, Conſtantini M. ni pater, fit Cæſar: Alemannos Fra cosque ſuperat.

SÆCULUM QUARTUM.

301. DIra in Chriſtianos edicta proponit Diocletianus: Rictiovarus Præſes ea crudeliter in Treviros urget: credibile eſt & apud Tongros ſævitum eamdem ob cauſſam, ejusque Imperatoris juſſu, qui, apud Tongros militans, Chriſtianam religionem illic ſuccreſcere viderat.

302. D. Valentinus dicitur pedum depoſuiſſe Tongri in altari, obteſtatus ne quis ſumeret, niſi cœlo auctore. Ita *Ægidius* narrat, quod tamen *Harigerus* prætermiſit. Sub finem hujus anni, ut tardiſſimè, fervente adhuc perſecutione, credibile eſt Martyrem fuiſſe. Vacaſſe dicitur ſedes Tongrenſis annos ſeptem.

309. D. SERVATIUS Epiſcopus Tongrenſis X. Cùm admodùm credibile ſit, D. Valentinum per Rictiovari perſecutionem obiiſſe, ſi ſeptem annis vacua

fuit

fuit ſedes Tongrenſis, nuſquam aptiùs, quàm hoc loco, conſignari poteſt initus à D. Servatio Epiſcopatus.

314. Concilium Arelatenſe celebratur, cui non improbabile eſt Servatium interfuiſſe.

336. D. Athanaſius, in Treviros per factionem Arianam relegatus, recreatur conſuetudine Divi Servatii ex vicino, ut ex ipſius *Athanaſii* narratione intelligitur.

341. Reſtitutus per Conſtantinum juniorem Athanaſius, eo occiſo, rurſum Alexandriâ pellitur, renovatque priſtinam cum Servatio conſuetudinem.

347. Sardicenſi Concilio, in cauſsâ Athanaſii, intereſt Servatius, cum Euphrate Epiſcopo Colonienſi, qui legatur à Patribus ad Conſtantium.

348. Athanaſius à Conſtante Imperatore evocatur in Gallias: coram illo monet Euphratem Servatius de hæreſi, quam hauſerat in legatione ſuâ.

349. Synodo Agrippinenſi contra Euphratem adeſt Servatius, & in eum fert ſententiam abdicationis ob hæreſim, *quã*, uti ipſe loquitur, *non opinione*

ſed

ſed veritate cognoverat, cuiq; publicè & domeſticè ſæpè obſtiterat.

350. A Magnentio, qui Conſtante interfecto imperium invaſerat, Servatius cum Maximino Trevirenſi ad Conſtantium de pace mittitur, & ex itinere Athanaſium viſit.

353. Pugnatur acerrimè inter Magnentium & Conſtantium: hic vincit, cruento certamine: inde acciſæ Romanorum vires, & deletum robur legionum.

354. Barbari per Galliam vagantur. Prævidet ruinam imperii Servatius, Deumque eâ de re orans, monetur ab Angelo de calamitatibus Galliæ.

355. Capitur à Barbaris Colonia Agrippina.

356. Julianus, à Conſtantio miſſus in Galliam, barbaros vincit, Coloniam recipit, in Senonibus obſidetur.

357. Alemannos ad Argentoratum Julianus vincit. Cogitat de Romanâ peregrinatione Servatius.

358. Franci, Caſtello ad Moſam incluſi, Juliano ſe dedunt. In urbe Tongrenſi Julianus Saliorum ex Taxandriâ ſeu Campiniâ, ubi nunc Taxandria vi-

cus

cus eſt, oratores excipit: tum gentem, ſubitâ irruptione oppreſſam, accipit in fidem. Ita *Ammianus* narrat ejus ævi ſcriptor. Servatium cum Juliano tunc egiſſe credibile eſt. Salios fuiſſe Francorum nobiliſſimos, à Sala ſive aulâ ſic vocatos, commodiſſimè dicitur:

359. Ariminenſi Concilio adeſt Servatius: conſtantiſſimè repugnat Arianis: concedit tamen denique, pacis causâ, ut Catholica vox una tollatur è ſymbolo. Sub idem tempus, Julianus Chamavos Françós è Bataviâ pellit, munimentaque ad Moſam ac Rhenum inſtaurat.

360. Servatius Arimino Romam peregrinatur, ad Divorum Petri & Pauli ſepulchra: orat Deum, pro avertendis publicis Galliæ calamitatibus. Per idem tempus, Julianus Imperator ſalutatus, Trajectum ad Moſam veniſſe exiſtimatur, id enim eſſe putamus Obtricenſe oppidum *Ammiani.*

361. Redux ab itinere Romano Servatius Diœceſin ſuam obit concionabundus. Julianus à fide deficit. Obit Conſtantius.

363. Julianus perit, Jovianus ſucce-
dit,

dit, mox alii, inclinante in dies imperio.

365. Contra hos Procopius ſumit imperium, corruptâ Divitenſium Tongritanorumque juniorum legione. Sic eos vocat *Ammianus*, quos alii Tongricanos vel Tongros. Redeunt ad officium Tongritani. Alemanni in limite Romano cædunt Cariettonem Romanum Ducem, Severianumque, Divitenſibus & Tongritanis præfectum in Britanniâ inſulâ, ad limitem Scoticum.

367. Pergunt Franci cum Alemannis perrumpere in Galliam, variâ fortunâ.

368. Victis Tranſrhenanis Barbaris, Valentinianus limitem munit ad Rhenum.

370. Hunnorum nomen audiri cœptum. Per hæc tempora Servatius pergebat Diœceſin obire. Ad eadem referri poteſt, quod dicitur de Sacello ab eo excitato, ac fonte, Leodii.

382. Advatucam, ſeu Tongrim, re Romanâ labente, ſenſim defloreſcentem, relicturus Servatius, res Eccleſiæ componit.

383. Servatius Trajectum ſecedit, oppidum

oppidum ſitu munitum, & affluxu civium paullatim accreſcens. Hunni adversùs Maximum tyrannum exciti, ad Rhenum accedunt.

384. Moritur D. Servatius Trajecti, & ſtatim clareſcit miraculis. Ricomer Francus Salius fit Conſul Romanus: alii gentis ejuſdem apud Cæſarem florent, imprimis Arbogaſtes.

385. D. Candidus Epiſcopus ad D. Servatii ſepulcrum peregrinatur.

386. Synodus Treviri habetur contra Priſcillianiſtas. Intereſt D. Martinus. Mentio Tongrorum nulla in eâ Synodo, quia paſtore carebant, D. Candido vicarium Epiſcopum, ut creditur, agente.

388. Dum Theodoſius Maximum opprimit; Franci ad Carbonariam uſque, hodie Hannoniæ partem, pervadunt, non aliâ utique quàm per Tongros.

389. Iterum Franci irrumpunt in Germaniam inferiorem. Hæc potiſſima videtur fuiſſe Tongrorum clades, à D. Servatio prædicta. Nec refert, quod vulgo perſuaſum eſt, eam cladem ab Hunnis illatam fuiſſe. Hunnorum enim

enim nomine, ferociſſimæ gentis, nationes omnes barbaræ rudioribus ſæculis appellatæ ſunt: quomodò hodie Turcarum & Saracenorum appellatio feritatis nomen eſt.

392. Subregulos Francorum Arbogaſtes Francus Salius perſequitur gentilibus odiis, ſive ob ſimultates & factiones domeſticas. Ita perhibet apud *Gregorium Turonenſem Sulpitius Alexander.*

394. D. Severinus, Colonienſis Præſul, Tongrorum urbem dirutam adit; luget vaſtitatem.

395. D. Evergiſlum, nobili loco in Tongris natum adſciſcit in ſocium. D. AGRICOLAUS fit Tongrenſis Epiſcopus XI.

400. D. Martino moriente, D. Severinus & D. Evergiſlus Coloniæ concentum cæleſtem audiunt.

SÆCULUM QUINTUM.

406. VAndali & Alani, à Stilicone exciti, proculcatis ad Rhenum Francis, pridie Kal. Jan. limitem perrumpunt. Tenuit ea clades trien-

nium.

nium. Laceratæ ab eis forſan reliquiæ Advatucenſis Tongrorum urbis, ut deinceps eo nomine non memoretur.

407. Conſtantinus, Britanniæ rector, Imperium ſumit, Bononiamque appulſus, Gallicos exercitus ſibi conciliat. Salii, in Tongrenſe ſolum nuper adſçiti, ſub eo militant.

410. Franci Salii Vandalos magnâ clade afficiunt. Varii Gallorum populi Romanum jugum excutiunt. Tongri jungunt ſe Saliis. Unicum fermè apud Tongros ſupereſt Romanis Lagenſe præſidium, ſive Lagium. Hodie vicus eſt, cujus incolæ jus habent municipum Tongrenſium.

412. Theudemer, Ricomeris filius, in Franciâ Tongricanâ Regem ſe dicit: mox à Romanis captus, & plexus, ut quidam perhibent.

414. Divus Ursicinus Tongrenſis Epiſcopus XII.

418. Faramundus creatur primus Rex Francorum, rebus eorum ſtabilitis: idque in Tongriâ factum, ſeu Tongrorum regione, ut ex *Gregorio Turonenſi* rectè conficitur, & ex ipsâ rerum ſerie, ac notatione locorum & vocum. Ibi-

dem

dem conditæ *Leges Salicæ.*

425. Clodio, Francorum Rex ſecundus, eorum fines profert. Sub ea tempora, Tongricani multi, vaſtatâ patriâ, apud Romanos militant: alii ſub Francis jure Romano, & legibus Chriſtianis, uti permiſſi. Hoc ex *Legibus Salicis* diſcimus, ubi nomina plurima locorum ac vicorum, qui intra ditionis ſeu populi Tongrenſis fines comprehenſi ſunt, recitantur. Illud habemus ex *Notitiâ Imperii*, ubi etiam legioni Tongricanorum ſeniorum tribuitur pro inſigni parma rubea, circulis luteo & viridi clauſa, umbone luteo.

434. Evergiſlus, Colonienſis Præſul, Tongrim in patriam ſuam venit: cum D. Urſicino agit: à ſicariis obtruncatus, ſubit Martyrium.

440. D. DESIGNATUS Tongrenſis Epiſcopus XIII.

448. Merovæus Clodionis filius regnat. Paullatim libertas Tongricanorum Romanorũ à Francis premitur, religioq; inter idololatras damnũ patitur.

451. Attila Gallias vaſtat: Tongrenſem regionem non videtur attigiſſe, niſi forſan Tranſmoſanam, quandoquidem

dem conſtet, à Rheno rectà per Mediomatrices, ſive Metenſem regionem, duxiſſe in Galliam interiorem, ad urbem Aureliam. Tongri tamen adversùs ipſum militavêre, cum Rege ſuo Merovæo, & victoriæ partem tulêre.

452. Dum Attila Italiam petit, Merovæus Francicum regnum in Galliâ promovet, incipit in Germaniâ.

455. Merovæo ſuccedit Childericus, Francorum Rex quartus, variâque fortunâ utitur.

457. D. Renatus Tongrenſis Epiſcopus XIV. Childericus Rex ab ſuis expellitur, adſciſciturque in Francorum rectorem Ægidius Romanus, Patricius Sueſſionenſis, qui rei Romanæ reliquias in Galliâ tuebatur.

465. Childericus revocatur à ſuis, Ægidium exoſis. Ruente Occidentali Romanorum imperio alii ex aliis Imperatores fuêre, ſeu potiùs umbræ Imperatorum. Tongri interim manſerunt ſub Francorū dominatu, latè regnantiū.

482. Clodovæus Childerico patri ſuccedit in Regno Francorum.

483. D. Sulpitius Tongrenſis Epiſcopus XV.

496. Tol-

496. Tolbiacenſi prælio vincit Germanos Clodovæus. Voti reus, Deoque ſimul & uxori Clotildi, ſi victor foret, promiſſo obligatus, per baptiſmum cælo renaſcitur, ipſo Chriſti natali. Secuta Regis exemplum gens Francica, Chriſtianam religionem amplectitur.

SÆCULUM SEXTUM.

501. D. QUIRILLUS Tongrenſis Epiſcopus XVI.

511. Mortuo Clodovæo filii quatuor ſuccedunt. Theodoricus Auſtraſiam, id eſt Orientalem Ciſrhenani regni partem, ad quam Tongri pertinuêre, ſortitur. Jam tunc enim Auſtraſiæ fines, quantum conjici poteſt, hinc Moſæ ſuperiora, & Scaldis totus, à Neuſtria, ſive Occidentali Francorum regno diſterminabant: inde Rhenus dividebat à Germania.

519. D. EUCHERUS Tongrenſis Epiſcopus XVII.

523. D. FALCO Tongrenſis Epiſcopus XVIII.

524. Ad Falconem de Moſomagenſis, hodie Moſomenſis, ſive Moſonienſis

Eccleſiæ

Eccleſiæ jure, vehementes literas ſcribit D. Remigius, & conqueritur ab illo Moſomagi actum, tamquam ſi eſſet intra fines Tongrenſis Epiſcopatus.

528. D. EUCHARIUS Tongrenſis Epiſcopus XIX.

535. Mortuo Euchario ſuccedit, D. DOMITIANUS Tongrenſis Epiſcopus XX. Intereſt Arvernenſi Synodo, hortatu Theodeberti Auſtraſiæ Regis ad diſciplinam Eccleſiaſticam reſtituendam celebratæ, ubi inter alia ſtatutum: *Eſſe debere in eligendis Sacerdotibus curam præcipuam, quia irreprehenſibiles eſſe convenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis.*

538. Ad hæc tempora ſpectat Aimonis Arduennatis fabella, & quatuor liberorum, ex Tongrenſi conjuge ſuſceptorum.

549. Aurelianenſi Synodo quintæ intereſt Domitianus, & in illa ſe ſubſcribit Eccleſiæ Tongrenſis Epiſcopum.

550. Trajectum frequentat Domitianus, & Huum.

553. Auſtraſiæ Rex Theodovaldus infelici ſucceſſu copias in Italiam immittit, ducibus Leutari & Buccellino.

558 Obit

558. Obit Domitianus, & Hui ſepelitur, ac miraculis clareſcit. Sufficitur D. Monulfus, ex Dionantenſi Toparcha, Tongrenſis Epiſcopus XXI.

559. Corpus D. Servatii Trajectum ex ſuburbano infertur, & baſilica ædificatur à D. Monulfo: ab eodem Dionantum Eccleſiæ Tongrenſi donatur. Sedem Epiſcopalem non locavit Trajecti, etſi illic frequẽs fuerit: manſitque ſemper hiſce ſæculis nomen Tongrenſis Epiſcopatus. Nam quod aliqui Scriptores, tum veteres, tum novi, Epiſcopis quibuſdam, D. Servatium ſecutis, Trajectenſium nomen tribuunt ex loco habitationis, id non ſatis commodè dictum exiſtimamus, cùm iidem Epiſcopi Tongrenſes in Conciliis conſtanter appellentur.

565. Prædicit Monulfus Legiam urbem fore, ſacellumque inædificat. Principis cujuſpiam viri animam liberat ex Purgatoriis ignibus. Ducitur à Sigeberto Auſtraſiæ Rege Brunichildis, quæ vias calciatas, ſeu Romana itinera reſtauranda curavit, ut aiunt quidam: nam alii calciatarum vulgare cognomen à Brunalto vico melius, quàm à

Brunichilde deducunt.

575. Sigebertus, dolo Fredegundis occiditur: Childebertus filius fit Rex Auſtraſiæ.

594. Guntrano Burgundiæ Rege mortuo, eam Auſtraſiæ adjungit Childebertus.

596. Childeberto mortuo, filii Theodebertus & Theodericus ſuccedunt; ille in Auſtraſia, hic in Burgundia, & mutuis ſe præliis atterunt.

597. Obit Monulfus. Subrogatur D. GONDULFUS Tongrenſis Epiſcopus XXII.

SÆCULUM SEPTIMUM.

601. NUmquam Diœceſis Tongrenſis aliàs magis experta eſt, *quanti ſint exempla in illuſtri loco.* Præſules, ac proceres, ſanctimoniâ per hoc ſæculum eximii, ſubditos paſſim ſuos magno numero ad imitationem traxêre, & regionem domibus ſacris, domos ſacras ſanctis viris ac fœminis implevêre.

603. De D. Gondulfi pro reparanda ſub hoc tempus Tongrenſi urbe conatibus

tibus, fabellula eſt, ab hiſtoricis popularibus conſuta, nullo veri indicio.

604. D. PERPETUUS fit Tongrenſis Epiſcopus XXIII.

607. Perpetuus docet plebem, unde ipſi nomen Doctoris fidelium : Dionantum frequentat.

613. Theodorico mortuo, Clotarius Rex ab Arnulfo Metenſi ; ac Pipino Landano, in Auſtraſiam evocatur. Conſilio Varnacharii, procerumque ... andiæ, non autem Arnulfi ac Pipini, occidit Brunichildem, omneſque Theodorici filios, unico Merovæo ſervato.

619. Perpetuus moritur, Dionantique ſepelitur, & celebratur miraculis. Succedit D. EBREGISUS Tongrenſis Epiſcopus XXIV.

618. Pipinus Landanus, cum D. Arnulfo Metenſi, gratiâ floret apud Clotarium.

623. Clotarius filium Dagobertum parti regni Auſtraſii præficit, poſt tempus aliquod toti Auſtraſiæ, dat ei Conſiliatores Pipinum & Arnulfum

628. Dagobertus Clotario patri ſuccedit. Clareſcere ſub hæc tempora cœ-

pit D. Amandus. Poſt profeſſionem monaſtices, peregrinationem̃que Romanam, fit Epiſcopus, nullâ tamen addictâ Diœceſi, tantùm ut majori auctoritate, ac dignitate, fidem promoveat. In Hasbaniâ Bavonem*, Pipini affinem, ad meliora convertit. Pagum Mempiſcum, ſeu Menapiorum regionem, hodie Flandriæ partem, excolit: dum Mahometes peſtis Orientis inchoat ſectam ſuam, & anno ſequenti occupat regnum Saracenorum.

631. Ebregiſo mortuo, divinitùs deſignatur D. JOANNES AGNUS, ex nobili Tyhanienſi ad Huum Tongrenſis Epiſcopus XXV.

633. Dagoberti libidinem reprehendere auſus Amandus, exulare jubetur, Slavosq́ue excolit, & Vaſcones. Hi tunc Heriberto Dagoberti fratri ſuberant.

635. Naſcitur D. Lambertus: ſi verum eſt, quod *Ægidius* tradidit, anno ætatis viceſimo primo factum Epiſcopum. Alioqui antè dicendus erit in lucem prodiiſſe.

636. Dagoberto ad meliora converſo, Sigebertus filius naſcitur, & baptizatur à D. Amando. D. Monon, Joannis

Agni

Agni diſcipulus, Naſſoniæ celebratur.

637. D. Joanni Agno fatis functo ſufficitur D. Amandus, Tongrenſis Epiſcopus XXVI.

639. Dagobertus Sigebertum filium, puerulum, Auſtraſiæ Regem dicit. Laubium & Alna à D. Landelino condūtur.

641. Amandus Trajecto diſcedit, quorumdam mores pertæſus. Nivellis D. Gertrudem viſit: Monaſterium ad Sabim condit: in Menapiis rursùs operam ponit. D. Landoaldus vices ejus apud Tongros implet, per annos novem. Pipini munificentiâ Malonienſe Monaſterium conditur à D. Bertiino.

646. Pipino patri defuncto, Grimoaldus, poſt æmuli cædem, ſuccedit in Præfectura prætorii & palatii, ſeu major-domatu. Per hæc tempora celebratur miraculis pueritia D. Lamberti, ſub moderatore Landoaldo, Vinterſovii, vico paterno. Memorandum inprimis, quod *Notgerus* narrat in Landoaldi vitâ, ad ejus imperium à Lamberto prunas ardentes illæſo veſtium ſinu exceptas, ac domum delatas.

649. Nivellenſe Cœnobium condi-

tur à D. Gertrude, & D. Itâ ejus matre, Pipini viduâ. Amandus tædio rerum petit à Martino Papâ, ut Epiſcopatum abdicare liceat: non impetrat: accipit Divorum ſacras reliquias. Pontificis epiſtolam exhibet *Baronius*.

650. Obtentâ tamdem miſſione, Amandus Elnonam, hodie Sanctamandum, ſe recipit. Subrogatur D. Remaclus ex monacho, ac deinde domeſtico Sigeberti, Tongrenſis Epiſcopus XXVII. Divinitùs ad ſe miſſo D. Trudoni, ex priſcâ Saliorum ſtirpe adoleſcenti, ſignificat, divinæ voluntatis eſſe, ut ſuæ Eccleſiæ Metenſi donet.

651. Ad Caſæcongidunum, non longè ab civitate Metenſi Monaſterium, regendum evocatur Remaclus ab Rege Sigeberto. Obtinet facultatem exſtruendi in Arduennâ Monaſterii. Malmundarium primò, dein Stabuletum ædificat. Illi D. Babolenus præficitur: huic D. Theodardus.

652. Memoriæ D. Sulpitii, magiſtri ſui, ſacella Remaclus ædificat.

653. Remaclo Stabuletum abſcedenti ſubrogatur D Theodardus, ex Abbate Stabuletenſi Tongrenſis Epiſ-

copus

copus XXVIII. In ejus diſciplinam ſe Lambertus tradit. Foſſenſe Scotorum Cœnobium conditur à Divis Ultano, & Foillano.

654. Sigeberto Rege mortuo, puerulum Dagobertum ejus filium attondet Grimoaldus, filiumque ſuum conatur Auſtraſiæ Regem facere. Templum à D. Trudone ædificatur Sarcinii, quæ nunc Trudonopolis eſt, & à D. Theodardo dedicatur. Quamquam *Theodoricus*, Abbas Trudonenſis, hanc dedicationem conſignat anno ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo : amplexus veroſimiliter doctorum chronologorum ſententiam, qui Jeſu Chriſti natalem triennio minimùm toto citiùs conſignârunt, quàm *Dionyſius Exiguus*, uti antè monuimus. Atque adeò annus ille, à *Theodorico* notatus, incurret in annum hunc Dionyſianæ chronologiæ, quam ſequi debuimus, ne legentibus novâ temporum ratione tenebras offunderemus.

655. Grimoaldum Clodovæus, Sigeberti frater, Pariſiis necat : Childericum filium ſuum creat Regem Auſtraſiæ. Ad hunc, pro recuperandis Eccle-

ſiæ bonis, proficiſcens Theodardus trucidatur. D. Lambertus à Spirenſibus corpus ejus repetit, alteraque profectione impetrat, & ad eum locum transfert, ubi poſtmodùm ſanguinem fudit.

656. D. LAMBERTUS, ex Divorum Landoaldi, Remacli; & Theodardi alumno, fit Tõgrenſis Epiſcopus XXIX. Apud Clodovæum Franciæ Regem, Childericumque Auſtraſiæ, gratiâ floret. A Clodovæo reſcriptum firmandis Eccleſiæ poſſeſſionibus accipit, vocaturque ab eo *Pater, & Vir Apoſtolicus.* Ad D. Vedaſti tranſlationem invitatur Atrebatum.

662. D. Amandus ſanctè moritur.

664. Childericus regnum Neuſtriæ, ſeu Franciæ Occidentalis, Theodorico fratri eripit, eumque, & Ebroïnum, Prætorii præfectum, attondet.

668. Childerico, ob contumelioſè tractatum Francum nobilem, confoſſo, Theodoricus & Ebroïnus è Monaſteriis exeunt. D. Remaclus Romam proficiſcitur.

669. Sævitur in amicos Childerici: Lambertus, connivente Vulfoaldo per Auſtraſiam Præfecto prætorii, in exilium

lium pellitur, Faramundo ſuffecto: ſecedit Stabuletum.

670. Rara virtutum omnium exempla edit Lambertus Stabuleti, obedientiæ inprimis, quando, ob ſtrepitum exurgendo per tenebras excitatum, à cœnobii Præſide, cui imperaret ignaro, juſſus aſperrimâ hyeme ad Crucem ſub dio perſiſtere, tamdiu ſtetit, donec nive opertus, & algore confectus, inde revocaretur. Refert *Goteſcalcus* ex narratione comitis domeſtici. Sub idem tempus D. Remaclus, Româ redux, aſſert Divorum ſacras exuvias. Celebratur D. Hadelinus Cellarum conditor.

671. Anſigiſus, quem aliqui Anchiſen vocant, D. Arnulfi Metenſis filius, D. Beggæ Pipini Landani filiæ maritus, ab Gunduino occiditur.

672. Pipinus Jupilienſis, Anſigiſi filius, juſtam de Gunduino ultionem expetit.

674. Vulfoaldo Præfecto Auſtraſiaci prætorii mortuo, Pipinus cum Martino patruele in Ebroïnum conſpirant, & vincuntur. Martinus dolo per Ebroïnum occiditur.

675. Ebroïnus perit: Varadorin ejus

Præfecturam ſuccedit : cum eo Pipinus paciſcitur. Depulſo Faramundo, Lambertus revocatur : & mox, quæ per ejus abſentiam corrupta erant, emendare ſatagit : tum concionibus ad plebem, in quibus multum facundiâ poterat : tum *eloquentiſſimis hortatoribus*, *virtutum omnium exemplis*, præſertim liberalitatis in egenos, erga ſe parſimoniæ. D. Remaclus moritur.

676. Giſlemarus patrem ſuum Varadonem in ordinem redigit, vincitque Pipinum in finibus Tongrorum. Pax per D. Audoenum conciliatur. D. Landrada virgo, quæ Beliſienſem parthenonem condidit : & D. Oda vidua, quæ Amanienſe templum aliaque exſtruxit : ac D. Hubertus ſummo in Aquitanis genere ortus, ſub diſciplinâ D. Lamberti proficiunt.

677. Giſlemaro mortuo, Varado in priſtinum gradum reſtituitur, pacemque colit cum Pipino, qui res ſuas in Auſtraſia, & in Tongris firmat. A Pipini matre D. Beggâ Andennenſe Monaſterium conditur.

681. Ad Hunnecurtii templi dedicationem invitatur D. Lambertus, à D. Vindiciano

Vindiciano Cameracenſi Epiſcopo: ædem etiam Bronienſem, in Interamne, ubi nunc D. Gerardi cœnobium eſt, ſub hoc tempus dicaſſe dicitur.

686. Varadoni defuncto Bertarius, homo inviſus, ac ſtolidus, in Præfectura palatii ſuccedit. Adversùs eum à primoribus Neuſtriis, ſeu Francis Occidentalibus, Pipinus invitatur.

687. Pipinus, ad Textricium in Veromanduis, Peronam inter & Quintinopolin, magna clade Regem Theodoricum & Bertarium fundit, Bertarius à ſuis occiditur. Hoc Pipino initium fuit ſummæ potentiæ in utroque Francorum regno, Auſtraſiâ ſimul & Neuſtriâ.

690. Pipini Plectrudisque conjugis munificentiâ, per D. Beregiſum fundatur Monaſterium Andainenſe, hodie D. Huberti. In Taxandria, ſive Campinia, ad religionem Chriſtianam adducenda, ſtrenuè laborat aliquot annis D. Lambertus: cum D. Villibrordo Ultrajectenſi Epiſcopo colloquitur.

691. D. Urſmarus floret Laubii, Abbas, & ſimul Epiſcopus ſine Diœceſi ulla, ad promovendam quà poſſet fidem, conſecratus.

693. Jupiliæ, quam Jobii villam *Fredegarius*, Jopilam alii *ejus ætatis Scriptores* vocant, otium agit Pipinus, amatque Alpaidem, Dodonis Avrotaꝗi ſororem.

694. Pipinus pellit Plectrudem, habetque Alpaidem juſtæ uxoris loco.

*695. Suſcipit ex ea Carolum Martellum: monetur à D. Lamberto: inde iræ Dodonis, & bella in familiares D. Lamberti.

696. Conſanguinei Dodonis occiduntur, juſtâ defenſione, à cognatis D. Lamberti. Hic Jupiliam à Pipino invitatus, Alpaidem & fraterem ejus in convivio averſatur, indéque Legiam, ſeu Leodium, ad domum ſuam ſe recipit: poſtridie manè, poſt occiſos à Dodonianis ſatellitibus familiares ſuos Petrum, & Andoletum, intra ædiculam ſacram, ubi nunc templi principis extrema pars eſt, ſitam, prono in terram corpore orans, ab uno è Dodonis aſſeclis configitur: corpus Trajectum avehitur ſine pompa: ſicarii divinitùs puniuntur.

697. Lambertus Leodii, in loco cædis ſuæ, prodigiis celebratur. D. Hu-

BERTUS

BERTUS Româ, ubi per Sergium Papam divino monitu creatus erat Tongrenſis Epiſcopus XXX, Trajectum revertitur, & munus ſuum auſpicatur, ſummâ populi approbatione, redivivum in diſcipulo Lambertum exſpectantis. Pergit luxuriari Pipinus: naſcitur illi ex Alpaïde Hildebrandus.

SÆCULUM OCTAVUM.

701. CElebrantur virtutes Huberti, præſertim caritas erga miſeros, quos ipſe per ſe in carceribus & tuguriis viſere conſueverat.

708. Creſcit Leodium affluxu civium, & celebritate miraculorum. Hubertus ſeriò cogitat, de D. Lamberti corpore illuc avehendo. D. Suvibertus Verdenſis Epiſcopus agit Jupiliæ cum Pipino, eumque ad meliora revocat. Reſipuiſſe enim Pipinum, vel ex eo conficitur, quod D. Lambertum palàm honorari paſſus eſt.

709. Corpus D. Lamberti prorsùs incorruptum Trajecto revehitur Legiam, Leodiúmve: utrumque enim loco nomen fuit, quamquam hoc vide-

tur

tur illo antiquius, ab ipſis ejus ævi ſcriptoribus uſurpatum. Ædem ſacram Hubertus communi D. Virginis & D. Lamberti nomine ſtruit, ſimul condit Canonicorum Collegium, quod Tongrenſis Leodienſisve diœceſis Cathedrale foret, hodie inter Europæ præcipua, & D. Lamberti nomine celebre. Conditum item templum & Monaſterium D. Petri, hodie Canonicorum Collegium, Cleri Secundarii præcipuum. Urbs Leodienſis nondum tunc mœnibus videtur fuiſſe firmata, creſcenti tamen in dies, datæ ſunt ab Huberto leges & judices, quos Scabinos vocamus. Pipinus Alemanos vincit: ejus auctoritate Dagobertus regnat.

712. Alemani perdomantur Pipini auſpiciis. Et hinc etiam colligitur, expeditum ipſum fuiſſe Alpaidis amoribus, cùm tam longè & periculosè militaret.

714. Pipinus ægrotat Jupiliæ. Grimoaldus, ejus ex Plectrude filius, ad D. Lamberti ſepulchrum orans, occiditur. Necis auctores à Pipino puniti. Theudoaldus Grimoaldi filius, fit Præfectus palatii. Iterum ægrotat Pipinus, moritur.

33

moriturque non impœnitens, uti ante poſuimus. Alpaïdem etiam reſipuiſſe, imò &Collegio Cathedrali D. Lamberti prædia quædam donaſſe, non immeritò creditur. Carolus Martellus in cuſtodia habetur à Plectrude.

716. Theudoaldus Plectrudis nepos à Neuſtriis vincitur, paullò poſt obiit. Chilpericus Rex renuntiatur. Carolus de cuſtodia elapſus in Radbodonem Friſium pugnat, & ſuperatur: Chilpericum Regem clade afficit ad Amblavam.

717. Carolus ad Vinciacum, non longè ab Cameraco villam, victos Chilpericum, & Raginfredum Præfectum palatii, perſequitur Pariſios uſque. Coloniam redit, & theſauros Pipini capit, Plectrude, ut apparet, non invitâ: Clotarium Regem creat.

718. Clotarius moritur: Chilpericus venit in Caroli poteſtatem.

720. Chilpericus obit: ſuccedit Theodoricus ſimulacrum Regis. Arduennam luſtrat D. Hubertus, & animas venatur.

722. Brabantiam excolit D. Hubertus, & Taxandriam. Siccâ & torridâ æſtate

æſtate imbres à Deo impetrat.

726. Hubertus, Harmaliæ, vico Leodium inter & Trajectum, ſpectat congredientes aëreos exercitus, quo tempore Saracenorum copiæ à Carolo deletæ ſunt in Gallia interiore.

727. Hubertus, divinitùs de morte imminente monitus, ſepulcrumque ipſe ſibi in D. Petri æde admenſus, abit in Brabātiam, dedicatoque illic templo, febri correptus, ſanctiſſimè moritur Furæ in domo ſua. Corpus Leodium revehitur, & clareſcit miraculis. Subrogatur D. FLOREBERTUS, ejus ex legitimis ante Sacerdotium nuptiis filius, Tongrenſis Epiſcopus XXXI.

740. Scribit Gregorius III. Pontifex ad Carolum, eumque vocat *Excellentiſſimum Francorum Subregulum.*

741. Carolus moritur, ſuccedentibus filiis Carlomanno, & Pipino.

743. Incorruptum D. Huberti corpus terrâ educitur, Carlomanno præſente, & ſuccollante. Diœceſis Tongrenſis ſanctimoniâ floret.

744. Naſcitur Carolus Magnus Jupiliæ, uti vetus apud nos fama, & populares hiſtorici perhibent: etſi externi

quidam

quidam tradunt natum Ingelhemii.

746. D. Floreberto ſuccedit FULCARIUS Tongrenſis Epiſcopus XXXII.

747. Carlomannus in Italia monaſticen amplectitur.

751. Zacharias Pontifex Max. in gratiam D. Bonifacii, Moguntiam facit metropolin, eique ſubjicit Tongrim, & Coloniam. Sed ea ſubjectio brevi deſiit, mortuo Zacharia.

752. Attonſo Childerico Rege Francorum, Pipinus regnat.

753. Hildegero Colonienſi, Fulcarioque Tongrenſi, & aliis Epiſcopis, committitur à Stephano III. Pontifice examen de vita D. Suviberti, in Divorum numerum referendi. Tongrenſis Eccleſia tunc Colonienſi metropoli videtur ſubjici cœpta.

760. Pipinus Rex agit Paſcha Jupiliæ. Molhanienſem Canonicorum in regione Interamnenſi dotationem auget.

761. Fatis functo Fulcario, ſuccedit AGILFRIDUS Tongrenſis Epiſcopus XXXIII. Ejus juſſu, Goteſcalcus Lambertianus Canonicus edit vitã D. Lamberti.

766. Pipi-

766. Pipinus agit Aquiſgrani Natalem Chriſti : & Paſcha anno proximè ſequenti.

768. Mortuo Pipino ſuccedunt Carolus, & Carlomannus. Ille Aquis celebrat Natalem.

770. Celebrat Carolus Paſcha Leodii vico publico : ita enim appellatur etiamtum ab *Eginardo*, qui Carolo fuit à ſecretis : & facilè credent, quos non delectat *artifex figmentorum*, *antiquitatis affectatio*. Agilfridus factus Abbas D. Bavonis Gandavi, eò defert corpus D. Faraildis.

771. Carolus Heriſtalli agit Paſchà. Aliis annis celebravit ibi ſæpe Natalem & Paſcha, itemque Aquis, in Leodienſi Diœceſi: quod ſemel notaſſe ſufficiet.

771. Invitatus à Pontifice Stephano IV. Carolus in Italiam adverſus Longobardos, Romanæ Eccleſiæ infeſtos, Deſiderium Regem obſidet, & capit Ticini, ſeu Papiæ.

774. Deſiderius captivus Agilfrido commendatur cum uxore & filia. Leodii poſtea mortuus; quandoquidem ibi ab Agilfrido teneretur: Aquis ſepultus.

784. Moritur Agilfridus Idibus Decembris,

cembris, id eſt exeunte anno, more noſtro numerandi : nam Franci olim à Paſcha annorum initia ducebant.

785. Gerbaldus fit Tongrenſis Epiſcopus XXXIV.

795. Conditur à Carolo urbs Aquenſis, & templum, quod Leo III. Pontifex didicat, & templa Tongrenſe ac Viſetenſe. Creati tunc dicuntur à Leone Archidiaconi octo in D. Lamberti Collegio, Diœceſis Tongrenſis primario : datumque à Carolo Lambertianum vexillum, & Hui Comites creati. D. Suvibertus à Leone Divis adſcribitur, præſente Gerbaldo.

800. Carolus à Leone creatur Imperator, & imperium Occidenti poſt tertium ſæculum reſtituitur.

SÆCULUM NONUM.

809. Gerbaldo vivis crepto ſufficitur Valcandus Tongrenſis Epiſcopus XXXV. Scribit ad Leonem Pont. D. Lamberti reliquias donat Monaſterio Lætienſi.

811. Teſtamento Caroli, Aquis condito, ſubſcribit Valcandus, quem Valdgaudum

Valdgaudum *Eginardus*, vel ejus ex-ſcriptores vocavêre, corrupto nomine.

814. Carolus Magnus ſeptuagenarius moritur, ac ſepelitur Aquiſgrani.

817. Valcandus, reſtitutâ Andaini diſciplinâ monaſticâ, quam egeſtas ſolverat, eò defert corpus D. Huberti adhuc incorruptum. Conventus à Ludovico Pio Imperatore habetur Aquis: alii item aliis annis ibidem.

824. Celebratur in Tongrenſi regione Ogeri Dani nomen, à quo condita fertur ædes curialis in ſuburbano Avrotano. olim D.Martini Tongrenſis, nunc D. Veronæ nomine.

831. Ludovicus Pius dat diploma Valcando & Eccleſiæ Tongrenſi. Recitatur id diploma à *Chapeavillao*, uti & pleraque eorum, quæ deinceps ab aliis Cæſaribus, Regibúsve, data indicabimus.

832. Mortuo Valcando, PIRARDUS renuntiatur Tongrenſis Epiſcopus XXXVI.

833. Nortmanni Franciam infeſtare incipiunt. Videntur fuiſſe prædones ex variis nationibus aggregati, præſertim ex Dania.

836. Conci-

836. Concilium Aquis habetur præſente Ludovico Pio: intereſt Pirardus. Odo, Stabuletenſis Abbas, adſciſcitur inter intimos Ludovici. Nortmanni Antverpiam & Vittam incendunt, vexatâ antè regione Moſanâ ac Rhenanâ.

837. Nortmanni, Doreſtadam adverſo Moſa progreſſi, opprimuntur à Ludovico Pio.

840. Ludovico vivis erepto, tres filii ſuccedunt. Lothario Auſtraſia cedit, aliaque, cum titulo Imperatoris. Inde Auſtraſia paullatim nomen mutavit, dici cœpta Lotharienſe regnum, ſeu Lotharingia. Nortmanni Friſiam populantur. Quotannis fermè deinceps populabundi invasêre alias, atque alias regiones.

841. Pirardo ſuccedit HIRCARIUS Tongrenſis Epiſcopus XXXVII.

855. Lotharius piè decedit in Monaſterio Prumienſi. Succedit in Auſtraſia filius, patri cognominis. Obit Hircarius.

856. FRANCO, ex Regum conſanguineo & monacho Laubienſi, fit Tongrenſis Epiſcopus XXXVIII.

859. Intereſt Franco Concilio Tullenſi,

lenſi, in cauſsâ Archiepiſcopi Senonenſis.

862. Adeſt Franco Aquenſi conventui, ubi approbatum Lotharii Regis cum Valdradâ adulterium, repudiatâ Theutpergâ.

863. Metenſis Synodus, quæ proſtibulum dicta eſt, in eamdem it ſententiam. Ei Synodo, non autem Silvanectenſi peridem tempus celebratæ, Franconem interfuiſſe, certum eſt ex literis Pontificiis, ubi dicitur, *peccaſſe quia non annuntiavit, & proculdubio conſenſiſſe, quia vidit & tacuit*: moneturque, ut deinceps in cauſsâ Lotharii Epiſcopum ſe præbeat, & ab ejus fautoribus ſe abjungat.

864. Damnantur iſtæ Synodi ab Nicolao Pontifice, & ſacris arcentur, ſive excommunicantur, qui interfuerant.

865. Veniam ab illo petit Franco, accipitque literas benevolentiæ plenas.

869. Lotharius Rex adulter, poſt ſumptam ſacrilegè cum perjurio Euchariſtiam de Summi Pont. Adriani II. manibus, miſerè obit, & ſuorum multi.

870. Carolus Franciæ, & Ludovicus

Germaniæ Reges, inter ſe Lotharingiæ, ſive Auſtraſiæ, regnum partiuntur. Secta tunc fuit in partes duas ditio Leodienſis, urbsque ipſa, ſervatâ tamen Epiſcopo dominatione ſuâ, ſub Regibus, quomodò antehac.

880. Hyems aſperrima, quâ Rhenus omninò conglaciavit. Nortmanni Scaldim invecti, Tornaco, ac Menapiis, Suevisque deletis, ad Carbonariam cæduntur. D. Gudulæ corpus, ut eorum furori ſubduceretur, Caprimontem, arcem Jupiliæ vicinam, abruptis rupibus & Vezæ torrenti imminentem, advectum; aliò alia Divorum corpora.

881. Scribit Franco monitorias ad Hugonem Valdradæ filium, Nortmannorum fautorem, & ab Hincmaro Rhemenſi literas accipit. Novembri Moſam invecti contra pacta Nortmanni, Leodium, Tongrim, Trudonopolim, Trajectum, Aquas, Indam, Stabuletum, Malmundarium, aliaque plurima loca vaſtant, & incendunt. D. Libertus Trudonopoli ab ipſis interficitur religionis odio: Leodii item monachi D. Petri, ita eos *Ægidius* nominat.

882. Prumiam, & Trevirim, Nortmanni

manni vaſtant, non ſine nova Leodienſis Diœceſis clade. Valonem Epiſcopum Metenſem occidunt, ejuſque copias delent.

884. Nortmanni ad Diliam flumen caſtra ponunt. Lotharingiam alia parte populatur Hugo Valdradæ filius. Carolus Craſſus dat D. Lamberto Magderam, prædium non longè ab urbe Metenſi.

886. Nortmanni iterum ad Diliam caſtra locant, eodem in loco, qui Lovon dicitur ab ejus ævi ſcriptoribus. Ea putatur fuiſſe urbis Lovanienſis origo.

886. Pariſios Nortmanni progrediuntur. Carolus Craſſus provinciam unam Galliæ illis concedit: inde Nortmannia. Exoſus ob ignaviam Craſſus, à ſuis deſtituitur.

888. In ſumma inopia moritur Carolus. Arnulfus Imperator dat D. Lamberto Laubiam Monaſterium, & omnes ejus poſſeſſiones, ac prædia, quas appendices vocat *Anſelmus*. Idem ex *Fulcuino* conſtat.

891. Lotharingiam iterum ingreſſi Nortmanni, ad Guliam, Trans-moſanum Tongrenſis regionis rivum, Chri-
ſtianos

ſtianos cædunt. Eodem anno, ad Diliam ab Arnulfo ad internecionem delentur. Aderat Franco cum Leodienſium, aliorumque ſuorum copiis : & quia manus in certamine, quamvis juſto, cruentârat, abſtinuit deinceps aliquamdiu à ſacris tractandis, uſus vicariis duobus Epiſcopis, Bericone Clerico Leodienſi, & Thuitone monacho Laubienſi, quos idcirco Romam miſerat conſecrandos, uti *Fulcüinus* Abbas Laubienſis, ſuppar horum temporum, narrat.

892. Alii Nortmanni iterum in Lotharingiam excurrunt. D. Mengoldus Comes Huenſis ſub hoc tempus occiditur.

894. Carolus Simplex, Rex Franciæ, dat D. Lamberto Arceias.

895. Arnulfus Zeventiboldum filium creat Regem Lotharingiæ.

897. Zeventiboldum, per æmulos exagitatum, Franco excipit Leodii, & copiis militaribus juvat.

898. Rex, erga hoſpitem gratus, dat D. Lamberto Tecta Francimontana.

900. Ludovicus, Arnulfi parentis in Germania hæres, evocatur à proceribus

in Lotharingiam, contra Zeventiboldum: eum vincit. In prælio occiſus Zeventiboldus tumulatur Suſterii. Tres ejus filiæ vitam ſanctè agunt: una Flemaliæ incluſa.

SÆCULUM DECIMUM.

901. Foſſarum donationem, D. Lamberto factam, Ludovicus Rex ratam habet. Celebrari incipit D. Gerardus Bronienſis.

902. Divarum Harlindis, & Relindis, corpora Franco Maſecæ transfert ad locum honeſtiorem:

903. Franconi, per acerbos cruciatus vivis erepto, ſubrogatur STEPHANUS, ex Canonico Metenſi Tongrenſis Epiſcopus XXXIX.

908. Ludovicus firmat diplomate donationes Laubiæ, Foſſarum, Tectorum, Heribotesſemii, juris in Trajectenſi urbe, aliasque, à variis factas Eccleſiæ D. Lamberti. Ejus Divi vitam polire conatur *Stephanus*. Idem de auguſtiſſimâ Trinitate Eccleſiaſticum Officium ſcribit.

912. Carolidarum, ſeu poſterorum

Caroli

Caroli Magni, ſtirps Germanica in Ludovico extinguitur. Conradus, Franconiæ Dux, à Germanis in locum ejus eligitur.

914. Carolus Simplex Rex Franciæ Lotharingiam invadit, eripitque Conrado: confirmat Broniensis Monaſterii fundationem.

915. Idem dat Tectenſem ſilvam D. Lamberto, id eſt omnem regionem Francimontanam, cujus fines in ejus diplomate deſignantur. Ad eum etiam pertinet donatio Mechliniæ.

917. Giſilbertus Lotharienſis Subregulus, perduellionis reus, à Carolo Simplice bonis exuitur. Mox tamen ab eodem reſtituitur, recipitque Caprimontem, Jupiliam, & Abbatiam Servatianam Trajecti, tunc tamen Trevirenſi Archiepiſcopo debitam.

919. Succedit Conrado Henricus Saxo. Cum eo Giſilbertus communicat conſilia, de Carolo Simplice Lotharingiâ exuendo;

920. Moritur Stephanus. Hilduinus, Laubienſis monachus, & Ratherii ibidem monachi amicus, apud Henricum Saxonem ac Giſilbertum fœdè Epiſco-

patum ambit, eumque invadit, ac prædatur. Contrà, legitimis ſuffragiis eligitur Richarius, ex Abbate Stabuletenſi, & Prumienſi, Leodienſis Epiſcopus XL.

921. A Pontifice Max. Joanne X. Colonienſis Archiepiſcopus, cum Hilduino, & Richario, evocatur ad cauſſam de Epiſcopatu Leodienſi dicendam.

922. Richarius Romæ conſecratur Epiſcopus: Pallium pro ſe, ac ſucceſſoribus, accipit à Pontifice Maximo. Cùm autem Pontifex ipſum in epiſtolis ſuis Leodienſem Epiſcopum, & Eccleſiam Legiam vocarit, meritò deinceps, auctoritate Pontificiâ, dicentur Leodienſes Epiſcopi, omiſsâ Tongrenſium appellatione. Gemblacenſe Cœnobium conditur à D. Guiberto. Caprimonte Giſilbertus obſidetur per Carolum Simplicem, irrito conatu.

926. Hildüinus ad Hugonem Italiæ Regem, conſanguineum ſuum, proficiſcitur, & fit Veronenſis Epiſcopus.

927. Hildüinus fit Archiepiſcopus Mediolanenſis. Pro eo Ratherius petit pallium ab Joanne X. & ab eodem

Joanne

Joanne commendatur Hugoni Regi, fitque Epiſcopus Veronenſis.

931. Renerus Abbas Trudonenſis floret ſtudiis, & virtute. Sub idem tempus D. Forannanus Valciodorenſe Monaſterium cœpit.

933. Richarius caſtellum propè Arceïas, in ſolo Leodienſi injuſſu ſuo ſtructum, evertit.

935. D. Petri Monaſterium Leodii à Richario reſtauratur, & Canonicis attribuitur: D. Servatii ædes curialis conditur, & aqua Servatiana in forum derivatur: Abbates ſæculares duodecim attribuuntur D. Lamberti Collegio Cathedrali.

939. Giſilbertus, nimiæ potentiæ & dominis ſuis oneroſæ ſubditus, Caprimonte fruſtra obſidetur ab Ottone Rege, poſtmodùm Imperatôre: perit tamen paullò pòſt.

940. Richarius gratiâ valet apud Ottonem, impetratque confirmationem privilegiorum Eccleſiæ Cameracenſis.

945. Richarius moritur. Succedit Hugo, ex Abbate D. Maximini Leodienſis Epiſcopus XLI.

946. Otto Leodium venit.

947. Hugoni mortuo ſubrogatur FARABERTUS, ex Abbate Prumienſi Leodienſis Epiſcopus XLII.

948. Intereſt Concilio Ingelhemienſi Farabertus.

949. Otto dat Maſecam D. Lamberto. Farabertus dicitur condidiſſe Leodii templa curialia, ſive parœcias, Divorum Andreæ, Catharinæ, & Georgii.

852. Ardentibus inter Ducem Lotharienſem, ſive Præfectum regni Lotharingici, & Comitem Hannonienſem bellis, D. Gerardus commendat Bronium fidei Faraberti. à quo tamen Laubia non benè adminiſtrata dicitur, aulicis paraſitis omnia vorantibus, ut *Fulcuinus* narrat.

953. Moritur Farabertus. D. Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis commendatione, ſubſtituitur RATHERIUS, ex Epiſcopo Veronenſi depulſo Leodienſis XLIII.

954. Hungari à Conrado Duce, adversùs Ottonem ſocerum ſuum rebellante, evocati, tranſito Mosâ, vaſtant Hasbaniam Leodium uſque: tum Laubiam

biam excurrunt, & evadunt in Franciam.

955. Hungari ab Ottone duplicatâ clade vincuntur. Ratherius dictis, ſcriptisque mordacibus, Leodii odioſus eſt.

956. Amoto Ratherio, qui deinde admodùm variâ fortunâ uſus eſt, ſubſtituitur BALDRICUS, ex primoribus gentis Epiſcopus Leodienſis XLIV. Peſtis graſſatur.

957. Raginerius, Hannoniæ Comes, res novas cœptans, à D. Brunone opprimitur, & in exilium deportatur.

959. Bruno Tongris D. Evergiſli corpus Coloniam effert. Baldrico mortuo ſuccedit ERACLIUS, ex Bonnenſi Præpoſito Leodienſis Epiſcopus XLV. Studia literarum Leodii inſtaurat magno ardore.

960. D. Patrocli corpus, ex D. Brunonis mandato, Eraclius Trecis Coloniam devehit: dum Bruno Caprimonte fruſtra obſidet rebellem Immonem, Giſilberti filium.

961. Evocatur à Joanne XII. Pontifice Otto in Italiam, adversùs tyrannos: proficiſcitur, filio Rege Aquis coronato.

962. Otto Romæ fit Imperator. Eraclius templum & Collegium Canonicorum D. Martini condit.

965. D. Bruno moritur. Sub idem tempus, templum D. Pauli ædificari cœptum ab Eraclio. Curiales ædes Divorum Severini, Magdalenæ, Margaretæ, Stephani, ſub hoc tempus exſtruuntur à variis.

967. Ottonem Imperatorem, in Italiam profectum, filius ſequitur, Eraclio comite.

968. Accidit Solis defectio, viceſimâ ſecundâ Decembris, horâ nonâ matutinâ, uti conſtat ex tabulis aſtronomicis & ex Chronico *Hermanni Contracti.* Ob eam trepidantes milites Ottonianos, & latebris ſeſe abdentes, erigit & animat Eraclius, oſtenſo, naturalem eum eſſe aſtrorum curſum.

969. Ex Calabriâ literis ludimagiſtros Leodiēſes, & diſcipulos, ad ſtudia excitat Eraclius: tāta ipſi doctrinæ cura.

970. Leodium reverſo Eraclio, oritur ſeditio popularis, & in ipſius domum ad D. Martini, ac vinariam penum, inſolenti petulantiâ involatur, vinaque per declive effunduntur. Leo Epiſco-

Epiſcopus Græcus excipitur perhumanè Leodii.

971. Inchoato templo ac Cœnobio D. Laurentii, moritur Eraclius. Floret D. Gregorius, Cœnobii Porzetani ad Aquas conditor.

972. Notgerus, ex monacho Sangallenſi & Ottonis familiari, fit Leodienſis Epiſcopus XLVI. Seditioſos plectit: D. Lamberti templum, & clauſtra à fundamentis renovat: ædem D. Virgini ad Fontes ponit; templa D. Paulli & D. Laurentii perficit: Tudinium & Foſſas munit: Mechliniam reſtaurat. Hæc omnia facta ſub Epiſcopatûs initium.

974. Ratherius, nuper Epiſcopus Leodienſis, Namurci moritur, ſepelitur Laubii, adſcripto ejus juſſu hoc epitaphio: *Conculcate pedes hominum ſal infatuatum.*

975. Ædes binæ Leodii D. Remaclo, miraculis celebri, deſignantur. Sub hoc tempus, Goderannus citharœdus, ex Narbonenſi Galliæ provincia, Ægidiani Cœnobii, in ſuburbano Publici montis, prima ducit lineamenta.

978. Lotharius Franciæ Rex, Carolo

fratre ſuo per Ottonem II. creato Lotharingiæ Duce, Aquiſgranum invadit. Gerbertus Archiepiſcopus Rhemenſis, poſtea Pontifex Maximus Silyeſtri II. nomine, literis Notgeri amicitiam ambit.

979. Juſſu Notgeri, templum Leodii ſanctæ Crucis titulo conditur, eluſo prudenter viri nobilis poſtulato, qui in ea area caſtrum ſibi deſignârat.

980. Pax fit Ottonem inter & Lotharium. Carolo, Lotharii fratri, conceditur Lotharingici regni pars, cui hodie Lotharingiæ nomen. Otto diplomate ſuo bona Eccleſiæ Leodienſis firmat, vetatque, ne quis in iis locis poteſtatem exerceat præter Epiſcopum: meminit etiam diplomatis à Pipino Rege dati. Notgerus ædem D. Michaëli ponit: D. Landoaldi vitam ſcribit: Caprimontanam arcem aſtu intercipit, inductis ſub habitu Eccleſiaſtico militibus: captam evertit, quòd toti circumregioni, Leodio præſertim, infeſta eſſet. Caprimontis ſatrapam tunc putamus fuiſſe Immonis filium, Giſilberti nepotem, patris avique exemplo dominis rebellem, vicinis intolerandum.

981. D. Jo-

981. D. Joanni Evangeliſtæ templum & Collegium Leodii conduntur à Notgero: foventur ſtudia literarum, multique è ſcholis Leodienſibus fiunt Epiſcopi.

984. Notgerus datur Ottoni III. moderator, & ab eo diploma novum impetrat Eccleſiæ Leodienſi, firmandis ejus poſſeſſionibus, nominatim pro Laubia, Foſſis, Brunengeruzio Comitatu, cujus fines habet *Ægidius*.

985. Ansfredus Comes reliquam Huenſis oppidi partem donat D. Lamberto: Otto ratam habet donationem.

986. D. Martini Canonicos apud Ottonem tuetur Notgerus: Leodium mœnibus cingit: Moſam derivat, & Inſulam efficit. Tantis ſumptibus ſufficit eo ævo diligens parſimonia; & *Semen opum rectum impendium*.

987. Conditur D. Dionyſii templum Leodii, ac Collegium. Cadente Carolidarum ſtirpe in Francii, Hugo Capetus regnat, Capetidarum, hodieque regnantium, parens. Cœpta tunc firmari in Galliis Romanica lingua, quam antè Franci vocabant Ruſticam, cùm ipſi Germanicam originis ſuæ linguam

ſervarent. Tunc etiam invaluit uſus inſignium & cognominum gentilitiorum: item Ducatus & Comitatus in hæreditarias poſſeſſiones tranſiêre, cùm antehac ferè ſolùm eſſent Præfecturæ.

989. Tempeſtate anni incommodâ, ſpes meſſis perit: annonam de cælo pluiſſe aiunt in Hasbania, poſt indictas à Notgero preces.

991. Harigerus, primus quem ſciamus, auctore impulſoreque Notgero, antiquitatum Tongrenſium ſcriptor, Fulcüino Abbati Laubienſi, rerumque Laubienſium ſcriptori, ſufficitur.

994. Ad externa curas extendit Notgerus: Ansfredum curat eligendum Ultrajectinū Antiſtitem, dum ejus uxor Hilſuindis Thorenſe Cœnobium cōdit.

998. Cluniacenſi ordini in Leodienſi Diœceſi varia prædia, & domus, accedunt. Defunctorum commemorationem, ab Odilone Cluniacenſi celebriùs quàm antè fieri cœptam, mox Notgerus in Diœceſi Leodienſi ſancit.

1000. D. Adalberto ædem Leodii ponit Notgerus. Caroli Magni corpus Aquis ab Ottone effoditur cum Imperatoriis ornamentis.

SÆCU-

SÆCULUM UNDECIMUM.

1001. D. Gengulfo, miraculis claro, ædes ſacra Florinis ponitur: paullò poſt deſignatur alia D. Joanni Baptiſtæ, unde Cœnobium ibidem ſurrexit.

1004. D. Henricus Imperator fruſtra Valentianas, ſive Valencenas, à Flandrenſi Comite occupatas, obſidet. Notgeri conſilio, & auxilio, in Flandriam cum copiis populabundus ingreditur, & Comitem cogit ad petendam pacem.

1006. Henricus diplomate ſancit donationes omnes, Eccleſiæ Leodienſi factas. Prædia Eccleſiæ Notgerus in tres partes dividit: unâ ſibi ſervatâ, alteram dat Eccleſiæ, tertiam nobilibus. Ea videtur origo Leodienſium feudorum, ſeu clientelarium beneficiorum.

1007. Notgerus moritur, ac defletur: Succedit BALDRICUS II, ex Comitis Loſſenſis filio, Leodienſis Epiſcopus XLVII.

1008. Silvam Hevam donat Henricus Eccleſiæ Leodienſi: item, alio diplomate,

ploſhate, jus paſcuorum ad Diliam ac Netham fluvios.

1012. Henricus Cæſar Leodiũ venit.

1013. Hugardiũ munit Baldricus: Lambertus Comes Lovanienſis munitionem impedire conatur: victus primùm à Leodienſibus, ſed mox victor, tranſeunte ad ipſum Comitẽ Namurcenſi.

1014. Conſilio Joannis Epiſcopi Itali, à Baldrico inchoatur Monaſterium D. Jacobi Leodii, pro expiatione cæſorum in bello Hugardienſi. Datur Comitatus Loſſenſis Eccleſiæ Leodienſi: exinde Comites fuêre clientes Epiſcoporum. Comes Lovanienſis reconciliatur Baldrico; uſus deprecatrice viduâ Comitis Loſſenſis.

1015. Prælio Florinenſi, contra Godefridum Lotharienſis regni Ducem, Lambertus Comes miſerè occiditur. Dicatur ædes D. Lamberti à Baldrico: item D. Bartholomæi, quam ſtruxerat, & dotârat, D. Lamberti Præpoſitus Goteſcalcus Morialmæus. Robertimons à ſacris Virginibus habitatur.

1018. Contra Friſiæ Ducem; juſſu Cæſaris, cum militaribus copiis accitus

Baldri-

Baldricus, in itinere moritur, eâdem horâ, quâ ab Cæſareis, inter quos ſui erant, infeliciter pugnatum. Succedit D. Volbodo, ex Ultrajectino Canonico, & Cæſaris domeſtico, Leodienſis Epiſcopus XLVIII. ſanctimoniâ inclytus, præſertim caritate in egenos; quibus noctu, cùm ad templa itaret, ſtipem ſolebat deferre, & lautiores cibos menſæ ſuæ appoſitos illis ſubmittebat, pulmentis ipſe & aquâ contentus.

1019. Henricus Cæſar Paſcha Leodii celebrat. D. Jacobi Cœnobium, poſtulantibus Baldrici agnatis, à Volbodone exædificatur.

1020. Excidit Cæſaris gratiâ Volbodo, incertum quâ cauſſâ. Ad recuperandam gratiam, munera parat: ſed mox Chriſtianâ cogitatione tactus, ea munera in pauperes, ad conciliandum ſibi Deum, diſtribuit. Famâ hujus rei ad pium Cæſarem perlatâ, illi reconciliatus, eum etiam D. Heriberto Colonienſi reconciliat.

1021. Moritur ſanctè Volbodo, & in D. Laurentii tumulatur. Durandus, ex famulo quondam Goteſcalci Præpoſiti Lambertiani, fit Epiſcopus Leodienſis

dienſis XLIX. Goteſcalco Præpoſito ſacramentum fidelitatis & ſubjectionis, de more, ut diſertè *Anſelmus* notat, offerenti, memor priſtinæ fortunæ aſſurgit.

1022. Scribit Durandus de Venerabili Sacramento, contra Berengarium.

1023. Aquenſi conventu, Porzetanum Cœnobium Diœceſi Leodienſi adjudicatur.

1024. Ad recipiendum Conradum Cæſarem, quem Lotharienſes varii proceres recuſabant, Durandus adducitur: ab eo diploma accipit, pro aſſerendo Eccleſiæ Leodienſi caſtro Hervartio.

1025. Durandus bona monaſtica invadit: à D. Volbodone per quietem fruſtra monitus, dein percuſſus, pœnitens obit. REGINARDUS ſuccedit, ex Præpoſito Bonnenſi Leodienſis Epiſcopus L.

1029. It Romam Reginardus magno comitatu, Epiſcopatumque, non bonis artibus comparatum, in manus Summi Pontificis reponit, & recipit, cum magnâ tam illuſtris pœnitentiæ commendatione.

1030. Re-

1030. Redux, templum Laurentianum majus exſtruendum curat: pauperes ac peregrinos alit magno numero.

1031. Collegium Bartholomæanum auget Reginardus. D. Nicolao ædes votiva ad Sanctæ Crucis conditur, peſte muſcarum extinctâ.

1033. Reginardus per famem publicam plurimos egentes paſcit, variis in locis.

1034. Curat dicandum templum Laurentianum: Moſam ponte jungit, deinde Urtam in regione Transmoſana.

1037. Contra Odonem Campaniæ Ducem, cum Gozilone Lotharienſi Duce, fortiter pugnat, & vincit: D. Martino ædem curialem in Inſula ſtruit.

1038. Mortuo Reginardo, NITHARDUS, ex Cathedralis Cuſtode, fit Leodienſis Epiſcopus LI.

1040. Nithardus corpora Divorum Monulfi, & Gondulfi, elevat. Intereſt dedicationi Stabuletenſis templi, ſtructi per D. Popponem Abbatem, ſanctimonia celebrem. Henricus III. Cæſar Ec-

clesiæ

cleſiæ Leodienſi donat Hasbaniæ Comitatum.

1041. Divorum Thomæ, & Remigii, templa curialia Leodii ab Nithardo conduntur, & caſtrum Dionantenſe munitur.

1042. Mortuo Nithardo ſufficitur Vazo, ex Præpoſito Lambertiano Leodienſis Epiſcopus LII.

1043. Per famem publicam ſubvenit indigentibus: auget Collegium Sanctæ Crucis, & Bartholomæanum.

1044. Conditur Collegium Canonicorum Loſſenſe, Cœnobium Rodenſe, aliaque. Godefridus, Moſellanorum Dux, Lotharienſe regnum infeſtat.

1045. Godefridus ſupplex ab Henrico veniam petit, & Aquis mittitur in cuſtodiam.

1046. Collegium Canonicorum D. Albani conditur Namurci. Godefridus Dux, è cuſtodiâ Aquenſi dimiſſus, in Henricum Cæſarem cum variis conſpirat. Vazo fruſtra ſolicitatur, & literis deterret Henricum Galliæ Regem, ab invadendo Lotharingico regno, & urbe Aquenſi.

1047. Multi Leodienſium nobilium

ad

ad Godefridum deficiunt, Caſtella eorum capit Vazo, urbemque Leodienſem, & arcem, ita enim *Anſelmus ejus ævi ſcriptor* loquitur, præſidiis munit. Scribit ad Henricum Cæſarem pro Romanæ Sedis libertate. Excitus ab illo ad bellum Friſium, cùm non de nihilo detrectaſſet, reus agitur, mulctaturque: ſed mulcta mox remiſſa eſt.

1048. Studiis ac viris floret Diœceſis Leodienſis: multique ex diſciplinâ Vazonis Epiſcopi fiunt. Vazo ſanctè obit. Secutus, ex voto ſuo, intra ſeptiduum Otbertus, Jacobenſis ſimul & Gemblacenſis Abbas, qui à confeſſionibus ipſi fuerat, ſtudiorumque & arcanorum particeps. THEODVINUS ſubrogatur, ex Bavaricæ ſtirpis Principe Leodienſis Epiſcopus LIII.

1049. Theodoricum Friſium vincit Theodvinus, & occidit: item Godefridum Ducem fugat. Leonem IX. Pontificem excipit Leodii, & Romam deinde comitatur, cum Godefrido Duce Cæſari reconciliato, & Federico Archidiacono Leodienſi, Godefridi fratre.

1051. Balduinus Flander junior ducit Richildem, viduam Comitis Hannonis: inde

inde novi in regno Lotharingico motus. Theodvinus Theodoricum, Hubertenſem poſtea magni nominis Præſulem, Româ reducit.

1053: Balduinus Flander ſenior Tudinium capit: filius Huum incendit.

1054. Cæſar Flandriam viciſſim vaſtat, Tornacum captum exurit. Hui ædes ſacra D. Virginis à Theodvino, ope civium, exſtruitur.

1057. Federicus Archidiaconus Leodienſis poſt legationem Conſtantinopolitanam juſſu Leonis Pontificis obitam, factus monachus Caſſinenſis, creatur Pontifex Maximus Stephani X. nomine, & ſanctitate floret.

1058. Theodvinus, & Cæſarei, infeliciter pugnant in Hollandia. Sanctæ Crucis portio Leodium mittitur à Stephano Pontifice, cui ſuccedit Nicolaus II. è Clero Leodienſi alter Pontifex.

1061. Cæſarei Hollandos Friſioſque cædunt. Cœpta controverſia Malmundarienſium cum Stabuletenſibus, de ſubjectione.

1063. D. Anno Colonienſis Archiepiſcopus, ſumptâ tutelâ Henrici IV. Cæſaris pueri, Malmundariũ ſibi vẽdicat.

1066. Di-

1066. Dicatur ædes D. Virginis Huenſis: multæ civibus Huenſibus prærogativæ ab Theodvino conceſſæ, ob operam & ſumptus impenſos.

1070 Litta, vicus propè Silvam-Ducis, olim Collegio D. Lamberti donatus, firmatur à Cæſare, aliæque Collegii ejuſdem poſſeſſiones.

1071. Agitatâ diu controverſiâ Malmundarienſi, Stabuletenſes miraculis D. Remacli evicêre, ut ſibi Malmundarienſes ſubeſſent. Godefrido Duci, poſt inſigne pœnitentiæ exemplum mortuo, ſuccedit cognominis filius, Gibboſus dictus. Hannonia & Valentianæ Theodvino venduntur: exinde Comites ea beneficio Eccleſiæ Leodienſis tenuêre. Novo diplomate Bronium, Gemblâcum, Sanhubertus, Namurcum, Argentæa, aliaque loca, firmantur Eccleſiæ Leodienſi per Henricum IV. Cæſarem.

1075. Theodvinus ab Henrico Cæſare conjugem ſervandam accipit, per expeditionis Saxonicæ tempus. A Gregorio VII. Pont. Max. monetur, ut ſubditorum moribus invigilet: ne ipſius negligentiæ aliena crimina tribuantur,

& ne

& ne cum malè operantibus propter ſilentium damnetur. Excuſat illum apud Pontificem Herimannus, Metenſis Epiſcopus ex Leodienſi Clero. Theodvino mortuo ſuccedit HENRICUS, ex Archidiacono Virdunenſi Leodienſis Epiſcopus LIV. A D. Annone Colonienſi conſecratur: & mox Volbodonem Abbatem Laurentianum; decoctorem, & inobedientem, fruſtra appellantem, dignitate exuit.

1076. Godefridi Gibboſi Lotharienſis Ducis, fœdè occiſi, corpus Antuerpiâ Leodium defert: inde Virdunum curat deportari, ipſe valetudine detentus in Monaſterio Hubertenſi.

1077. Inclareſcit miraculis D. Trudo: opes confluxusque peregrinorum diſciplinam monaſticam labefactant: Abbas Adelardus, divinitùs mente captus, ad D. Volbodonis ſepulcrum in D. Laurentii ſanatur.

1079. Proficiſcens Romam Henricus, ab Arnulfo Comite ſpoliatur. Comes, quem Barrenſem putamus fuiſſe, ſacris ſubmovetur.

1080. Floſenſe Cœnobium conditur, aliaque templa, & Prioratus: addunt

dunt quidam templum D. Nicolai Trans-moſanum.

1082. Gualterus, è Clero Leodienſi Epiſcopus Dunelmenſis in Anglia, floret, aliique non pauci alibi.

1083. Trudonenſe Cœnobium, templùmque ſumptuoſum, incendio abſumitur, non ſinè manifeſto prodigio, flammis illuc ex ardente procul caſa per ſublime delatis, intactisque cæteris urbis domibus.

1085. Trudonopolis, ob Luponem Monaſterii invaſorem ab Henrico Præſule obſeſſa deditur. Bruſtemiani flammis, ac ferro, in dedititios graſſantur: inde totâ patriâ factiones, ac cædes. Eodem tempore Italia, & Germania, factionibus Pontificiis, ac Cæſareis lacerantur.

1088. Ad factiones in Diœceſi Leodienſi ſedandas, de conſenſu Principum Diœceſanorum, Brabanti, Namurcenſis, Limburgii, & aliorum, fit tribunal Pacis Leodienſis, Epiſcopusque deinceps eligitur ſupremus Judex. Inde Henrico Pacifici nomen, ſummaque auctoritas.

1089. Inter Godefridum Bullionium, Gibboſi

Gibboſi ex Idâ ſorore nepotem, & Virdunenſem Epiſcopum bellum ſopitur, interventu Henrici Epiſcopi.

1091. Moritur Henricus. OBERTUS, ex Canonico D. Lamberti & Præpoſito Sanctæ Crucis, fit Leodienſis Epiſcopus LV.

1093. Ædes D. Leonardo ponitur in ſuburbano Leodienſi. Petrus Eremita, belli ſacri primus incentor, inclareſcit.

1095. Bullionius Dux militiæ ſacræ dat nomen. Cum eo Belgæ multi: præſertim è Diœceſi ac regione Leodienſi nobiles, à quorum conjugibus conditum fertur Monaſterium Martiæ Dominarum.

1096. Bullionem, Covinum, Claromontem caſtrum emit Obertus.

1099. Brunengeruzius Comitatus judicatur Lovanienſi Comiti, & Leodienſi Eccleſiæ redditur. Capitur ſacro bello Hieroſolyma, & Bullionius fit Rex.

1100. Bullionio fatis functo ſubſtituitur Balduinus frater, antè, ut perhibent, Canonicus Leodienſis.

SÆCULUM DUODECIMUM.

1101. HEnricus Cæſar Leodii agit: inde iræ Paſchalis II. Pontificis adverſùs Leodienſes, quòd diſſidentem à ſe Cæſarem, ſacriſque ſubmotum, ac diris ſæpiùs devotum, foverent.

1102. Robertum Flandriæ Comitem Pontifex concitat in Leodienſes: paullò poſt tamen pacem init cum Henrico Cæſare. Lovanienſis & Duraſſius Comites captâ Trudonopolin incendunt. Sub hoc tempus, juvenis illuſtri loco in Galliâ natus, Donomartiniâ gente, Comitis Bononienſis frater, Franciæ Regem, cui cum fratre rebellârat, fugiens, Huum venit, ſéque inſinuavit in familiaritatem Varfuzæi toparchæ, filiamque ejus unicam & hæredem duxit uxorem. Ex eo matrimonio pleræque in Hasbania familiæ nobiles ſurrexêre, in his Avantia & Varuſia. Quia Varfuzæus, uxore fatis functa, Sacerdos erat, & prædives, molarum præſertim proventu: inde populari joco jactatum, Hasbanicas familias ex Sacerdote & molitore genus trahere.

Auctor eſt *Hemricurtius*, quod nomen etiam ex Donomartiniis manaſſe fertur.

1103. Helinus Abbas Sanctæ Mariæ, conditor hoſpitalis domus D. Matthæi, Canonicorum D. Materni, & ſocietatis D. Lucæ: Algerus vir doctiſſimus, Berengarianæ hereſis exagitator: aliique illuſtres in D. Lamberti Collegio viri, ſub hæc tempora celebrabantur.

1105. Ab Henrico patre Imperium, per proceres Germanicos, transfertur in filium, cui Henrico V. nomen.

1106. Henricus pater excipitur Leodii: filii eum inſequentis acies prima vincitur ad pontem Viſetenſem. Dum bellum redintegratur, pater obit Leodii, & humatur in æde Lambertianâ. Hujus belli occaſione, templum Bartholomæanum, & Valburgius mons, urbi incluſa fuêre, cùm antè eſſent suburbicaria.

1107. Obertus, ut ſacris, à quibus ipſum Pontifex ob Henrici IV. ſocietatem arcuerat, reſtituatur, corpus Henrici exhumat, transfertque in Cornelîmontem: inde Spiram effertur à filio.

1108. Divorum corpora Obertus venerationi publicæ proponit: condit
ſub

ſub idem tempus curiales ædes D. Huberti, & D. Fidei. Novomonaſterium à Petro Eremita, & Conone Montacutenſi Comite, ſtruitur ad Huum.

1110. Hic annus, aliique proximi, monſtrorum & portentorum feraces fuêre.

1117. Hui D. Norbertus, Præmonſtratenſis inſtituti conditor, bonis omnibus renuntiat: poſtmodùm Leodienſi Diœceſi universâ celebris, Hugonem Foſſenſem ſocium adſciſcit, ipſi in præfecturâ totius ordinis ſucceſſurum.

1116. Sub hoc tempus, Obertum Huenſes ludibrio habuiſſe dicuntur, navi, quâ vehebatur, in ſiccum extractâ: & pœnas congruas dediſſe: damnati ad navim itinere Hasbanico Leodium trahendam, inſtaurandumque ſumptu ſuo Principale Palatium: plexis præterea primis ludibrii auctoribus.

1119. Moritur Obertus. Succedit poſt longam diſceptationem D. Federicus, ex Præpoſito Lambertiano Leodienſis Epiſcopus LVI. Rhemis à Calliſto II. Papa conſecratus, Leodium redit nudis pedibus.

1120. Alexander, Federici æmulus, in

arce Huenſi obſidetur : victis ſuis, elabitur : pacem petit à Federico, & impetrat.

1121. D. Federicus, veneno per Simoniacos & Henricianos Schiſmaticos præbito, moritur, & miraculis celebratur. Archiepiſcopus Colonienſis Alexandrum vetat de Epiſcopatu cogitare.

1122. Inter Calliſtum Pontificem, & Henricum Cæſarem denique convenitur, de Eccleſiaſticis inveſtituris, ſeu de immittendis in poſſeſſionem clientelarium beneficiorum intra imperii fines Eccleſiaſticis, conferendoque jure Regalium.

1123. ALBERO, ex primicerio Metenſi, fit Leodienſis Epiſcopus LVII. Patriam expurgat à latrociniis. Floret Rupertus Abbas Tuitienſis, ex monacho Laurentiano.

1124. Conditâ à Guilielmo Comite Namurcenſi Floreffiâ, inde Monachos Præmonſtratenſes in Cornelimontem evocat Albero : Ægidianum Cœnobium dotat : dicat curialia templa Divorum Clementis & Trudonis, & D. Aldegundis. Alexander Romam proficiſcitur.

1125. Bel-

1125. Belloſagetum, Bertreja, Vetuſvinetum Cœnobia conduntur: feſtum D. Magdalenæ in Diœceſi Leodienſi indicit Albero: Leodienſibus remittit jus manus mortuæ, per quod civium mortuorum præcipua ſupellex Epiſcopo cedebat. Henricus Imperator Paſcha celebrat Leodii: poſt Pentecoſten moritur Ultrajecti.

1127. Albero contendit cum Archiepiſcopo Rhemenſi de finibus Bullionis, & parum æquas conditiones accipit.

1128. Moritur Albero Kalendis Januariis. Eligitur denique ALEXANDER, ex Archidiacono Lambertiano Epiſcopus Leodienſis LVIII.

1129. Comes Duraſſius Trudonenſibus infeſtus, damnatusque ab Epiſcopis Leodienſi ac Metenſi, bellum movet, auxiliantibus Duce Lovanienſi ac Comite Flandrenſi. Vincuntur ab Alexandro propè Duraſſium, capiturque ipſum Ducis Lovanienſis vexillum prætorium, quod ad victoriæ memoriam, in anniverſariis Rogationum ſupplicationibus diu poſtmodùm circumlatum eſt. Conditur Monaſterium Parcenſe.

Gerolſarti propè Namurcum collocantur Scholares, inde Diœceſeos locis aliquot.

1130. Alexander dicat ædem Novomonaſterienſem, & Cœnobium dotat.

1131. Innocentius Pontifex, comite D. Bernardo, Leodium venit: coronat in templo D. Lamberti Lotharium Cæſarem, & conjugem, quorum filius fuit Præpoſitus Lambertianus. Corpus D. Gerardi Bronienſis terrâ educitur. Averbodienſe Cœnobium conditur.

1133. Accuſatus Alexander de Simoniâ, Romam evocatur ad cauſſam dicendam. Heileſemenſe Cœnobium ædificatur.

1134. Alexander damnatus, Epiſcopatu movetur. Bullio capitur à Barrenſi Comite. Chindermalli, Hasbaniæ vico, de puellæ auribus enatæ ſpicæ matureſcunt: earum ſpicarum grana ſata ſuccrevêre. Auctor eſt, ejus ævi ſcriptor, *Rodolfus* Abbas Trudonenſis, ſcientiâ clarus.

1135. Triſtitiâ confectus Alexander moritur.

1136. Succedit Albero II. ex primicerio Metenſi Leodienſis Epiſcopus LIX.

LIX. Ei uſum Rationalis, ſive Superhumeralis Pontificii, conceſſit Pontifex Innocentius II.

1137. Albero agit apud Lotharium Cæſarem de recuperatione Bullionis: ſed fruſtra.

1138. Agit item cum Conrado III. Lotharii ſucceſſore, & cum Pontifice. Præpoſitus D. Lamberti, à D. Jacobi Abbate, ob injuriam erepto per vim novitio illatam, evocatus ad Dei tribunal, ſtatim moritur, eo mortuo.

1140. Barrenſis Comes vaſtat ditionem Leodienſem, Foſſas capit, & incendit.

1141. Bullio obſidetur ab Alberone, & capitur, D. Lamberti feretro in caſtra advecto, & miraculis per iter celebrato: quorum quædam à *Scriptore Triumphi Bullionenſis*, oculato teſte, recitantur: in his puer à nativitate cæcus Namurci ſanatus: Hui alius qui ob ſolutos nervos ingredi numquam potuerat.

1143. Vitia impunè gliſcunt: inprimis ſacrilegæ nuptiæ, & licitatio Beneficiorum, quæ, ut rectè *Ægidius*, dici debebant *Emendæ, non Præbendæ*. Irato Numine ignis ſacer, morbi popularis

genus, graſſatur. Incendium ingens Leodii ortum, & cædes multæ, ac rapinæ. Tempeſtas horribilis urbi minatur exitium.

1144. Fruſtra Albero monetur. In publica colluvie malorum morum, non tamen deſunt bona piorum exempla, in Laurentiano præſertim Cœnobio, eò ſpectabiliora, quòd ſtellarum inſtar tenebris intermicabant.

1145. Albero Romam evocatus ad cauſſam dicendam, accuſante D. Lamberti Præpoſito, moritur in itinere. Sufficitur Henricus Leianus, ex Præpoſito Lambertiano Leodienſis Epiſcopus LX.

1146. D. Bernardus concionabundus obit Europam: Leodio in Germaniam tranſit: Villarienſe Cœnobium ab eo inchoatur.

1147. Redit in Diœceſim Leodienſem: in æde D. Lamberti concionatur, & patrat miracula, ſpectante Epiſcopo. Alna datur Claravallenſibus, Leffia Præmonſtratenſibus. Salſiniæ parthenon conditur: item Leodii D. Urſulæ ædes, & ſuburbana D. Nicolai Glanenſis.

1148. Henricus Epiſcopus multis

prædiis

prædiis Leodienſem ditionem auget: caſtra Fontenſe, Bellomontenſe, Rodenſe, aliáque ab *Ægidio* recenſita, coëmit. Domos Epiſcopales variis locis exſtruit: ſapienterque rempublicam hoc anno, ac ſequentibus adminiſtrat. Dicat Hinſbergianum templum, quod virginibus Præmonſtratenſibus poſtmodùm ceſſit.

1153. Namurcenſis Comes bellum Henrico movet: utrimque vaſtitas infertur. Andennæ, magnâ Namurcenſium clade, læſo Leodienſium nemine, bellum conficitur. Ædem Andennenſem exuſtam Henricus reparādam curat.

1154. Henricus it Comes Federico Cæſari in Italiam, fortitérque pro ipſo rem gerit, & intereſt ejus coronationi factæ per Adrianum IV.

1155. A Pontifice, & ab Imperatore, dantur Henrico diplomata, firmandis Eccleſiæ Leodienſis poſſeſſionibus, inter quas multæ magnæque recenſentur, poſtmodùm abſtractæ.

1158. Floret Diœceſis viris fœminiſque illuſtribus. Henricus iterùm cum Imperatore in Italiam proficiſcitur.

1159. Victoris Pſeudopapæ partes, contra Alexandrum Pontificem, Cæſar

 & ſui

& ſui tuentur; in iis Henricus noſter, ac Viricus Abbas Trudonenſis, qui à Pſeudopapa uſum mythræ impetravit, mox à legitimis Pontificibus confirmatum. Bernardiſaniæ Cœnobium conditur.

1161. Radulfus, poſtmodùm Leodienſis Epiſcopus, electus in Moguntinum, Cæſarem in Italia adit, & ab eo rejicitur.

1162. Capto, vaſtatoque Mediolano, Henricus præficitur à Cæſare.

1164. Victori Pſeudopapæ mortuo Henricum Cæſariani volunt ſufficere. Rejicit onus in Paſchalem, quem conſecrat, pallioque per illum donatur. Obit, impetratis trium Divorum Magorum corporibus, quæ poſt ejus mortem Colonienſi Archiepiſcopo ceſsêre. ALEXANDER II. ex Præpoſito Lambertiano, fit Leodienſis Epiſcopus LXI.

1166. Pſeudopapæ Paſchalis juſſu, Alexander, cum Archiepiſcopo Colonienſi, oſſa Caroli Magni publicæ venerationi exponit.

1167. In expeditione Romana Federici Ænobarbi Imperatoris contra Pontificem, lue afflatus moritur. RADULFUS, ex Archiepiſcopo Moguntino antè
deſignato

deſignato, creatur Epiſcopus Leodienſis LXII.

1168. Simoniaca labes fœdè invaleſcit.

1170. Comes Loſſenſis Tongrim invadit. Epiſcopus vaſtitatem ejus ditioni infert. Pax ſancitur.

1171. Federicus Cæſar dat Leodii literas, firmandæ oppigneratione Heriſtalli per Brabantum Epiſcopo factæ, ſed brevi exſolutæ.

1173. D. Domitiani corpus per Radulfum decentiore loco Hui collocatur, & miraculis celebratur. Sub idem tempus facta D. Mengoldi tranſlatio.

1180. Lambertus Begus, ſive Balbus, Sacerdos Leodienſis, Beguinas condit ad D. Chriſtophori, & xenodochium Coquinorum, ducto nomine à cibis coquendis in uſum pauperum. Quamquam alii appellationem à nobili familia Coquinorum trahunt, è quâ tres fratres hoſpitali domui res ſuas legaſſe dicuntur: ejusque domus initia altiùs conſignant, ad annum hujus ſæculi tertium ſupra viceſimum. Invehitur Lambertus palàm in Simoniacam labem, & prædicit Lambertiani templi excidium, atque in cuſtodiam mittitur.

1182. Parthenon Ciſtercienſis Herquenrodæ exſtruitur. Lambertus Begus Romam mittitur, acceptáque concionandi poteſtate, moritur in reditu. D. Ivetta Hui celebratur, caritate præſertim erga lepròſos, & ægros alios. Leproſorum domus, ſub hoc tempus, ſtructæ variis locis: Leodii in ſuburbano ad radices Cornelîmontis.

1185. Conflagrant templa Divorum Lamberti, & Petri, aliáque ædificia. Domos D. Lamberti templo contiguas, quæ ignibus ſuperfuerant, dirui jubet Henricus Rex, Federici Cæſaris filius. Ab eo pax Hannonium inter ac Brabantum Leodii ſancitur, brevî rupta, ob controverſiam de Duraſſio.

1186. Henricus Caſtrius, ex Canonico D. Lamberti Epiſcopus Virdunẽſis, abdicato Epiſcopatu, ſe Leodium recipit, & poſt annos aliquot piè moritur.

1187. Hieroſolyma de Chriſtianis à Saladino capitur: bellum ſacrum totâ Europâ indicitur.

1188. Henrico Legato Apoſtolico Leodii concionante, magna fit morum converſio. Radulfus Crucem ad ſacrum bellum ſumit, & Leodienſium multi:

multi : in his Theodorus Cellenſis, poſtmodùm Canonicus D. Lamberti, & conditor, aut reſtaurator, Ordinis Cruciferorum. Ingens tēpeſtas Leodii.

1189. Radulfus cum Imperatore Federico ad expeditionem ſacram proficiſcitur. Conditur D. Foillani Transmoſana ædes.

1190. Federicus Cæſar, poſt inſignes in Aſiâ de Turcis victorias, mergitur natans animi cauſsâ.

1191. Radulfus voto liber revertitur, & vivis eripitur, cùm à patria propè abeſſet. Subrogatur legitimis ſuffragiis D. ALBERTUS LOVANIENSIS, ex Archidiano Lambertiano Epiſcopus Leodienſis LXIII. contra nitente Balduino Hannonio, & Henrico VI. Cæſare.

1192. Lotharius Horſtadius à Cæſare Epiſcopus contra fas renuntiatur. Albertus à Pontifice Cæleſtino III. ad quem appellârat, & in vili habitu adiverat, confirmatur, fitque Cardinalis: mythræ uſum impetrat pro Abbate Laubienſi: Rhemis conſecratur, & primum ſacrum facit: à ſicariis Germanis ibidem, in cauſſa Eccleſiaſticæ libertatis, occiſus, celebratur miraculis.

1193. Va-

1193. Vaſtantur Horſtadiorum ditiones ab agnatis Alberti. Pace factâ, Simon Limburgius, admodùm adoleſcens, à pluribus eligitur: reclamant Archidiaconi quatuor. Lotharius, poſt D. Alberti mortem ſacris à Pontifice ſubmotus, ab eodem Romæ abſolvitur. In parthenonem Robertimontenſem Ciſterciense inſtitutum inducitur.

1194. Decernit Pontifex irritam Simonis electionem: Cuiquius Namurci creatur Epiſcopus, Hannonio inſtante apud partem Canonicorum, qui eò refugerant. Res erumpit in bellum: convenitur de ſtando ſententiæ Pontificis. Lotharius moritur.

1195. Dum lis agitatur Romæ inter utrumque electum, Simon à Pontifice Cardinalis creatus obit. Sublato æmulo, ALBERTUS CUIQUIUS, ex Archidiacono Lambertiano, confirmatur Leodienſis Epiſcopus LXIV.

1196. Conſecratus à Colonienſi Præſule, avarè & ſordidè Epiſcopatum adminiſtrat, venditis Beneficiis & Officiis: cujus maculæ memoria perpetua eſt in literis Innocentii III. Dira fames invaleſcit quadrienno toto, plebemque inopem

pem adigit ad eſum cadaverum.

1197. Henricus VI. Cæſar, fundatis in æde D. Lamberti altaribus duobus, moritur.

1198. Sciſſo in factiones Imperio, Ottoneque ac Philippo electis: hunc Albertus ſequitur. Hochti habitant Ciſtercienſes virgines, inde migrantibus monachis ad Vallem Dei. Hullæ, ſeu carbones ſaxei, ſub hoc tempus Leodii inveniuntur, peregrini & ignoti homi-is indicio, qui fabrum ferrarium egen-m monuit, ut nigram terram è monte ublico ad fornacis ſuæ ignes ſumeret.

1199. Componitur diſcordia inter lbertum, & uxorem Ducis Brabantini ſentis, nata ſtudio partium inter Cæ-es electos. Cives, Eccleſiaſticorum ertati vim Leodii, Epiſcopo conni-ite, afferentes, ſacris interdicuntur, ęque componitur. Prærogativæ ſeu vilegia per Epiſcopum Leodienſi ci-iti conferuntur. Celebratur famâ ſtimoniæ Maria Ogniacenſis, alii-multi ex utroque ſexu virtute emi-tes.

:00. Moritur Albertus: vulgatur-de ipſo iſtud infame epitaphium:

Hoc

Hoc in ſarcophago, cunctorum dira vorago, Clauditur Albertus, Giezi dum vixit apertus. De ſucceſſore diſceptatur: Otto Cæſar Hugoni favet.

SÆCULUM DECIMUM-TERTIUM.

1201. Legati Pontificii ſententiâ declaratur HUGO PETRAPONTIUS, ex Præpoſito Lambertiano, Leodienſis Epiſcopus LXV. Liberi duo Comitis Mohani mutuis vulneribus, in ludicro haſtiludio, corruunt.

1202. Lamberti-vallenſe Cœnobium in Maurorum campo, & Dominæ-vallenſis parthenon propè Huum, conduntur. Huenſes, ob tributa tumultuati, veniam petunt ab Epiſcopo: ab eodem Loſſenſis Comes, clientelam Eccleſiæ Leodienſi profeſſus, juvatur contra Brabantum. Guido, Legatus Pōtificius Innocentii III. laborat Leodii, pro reſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica.

1203. Gueldriæ pars oppigneratur Eccleſiæ Leodienſi. Munitur civitas ad portam Valburgiam. Ædes curialis D. Joannis Baptiſtæ dicatur.

1204. Da-

1204. Datur Comitatus Mohanus Eccleſiæ Leodienſi, uſu à Comitibus ſervato. Comes Loſſenſis Hollandiam univerſam capit, & mox perdit. Balduinus Hannonius, Eccleſiæ Leodienſis cliens, fit Imperator Conſtantinopolitanus, & mittit munera D. Lamberto. Monaſteria Canonicorum Auguſtinianorum conduntur, Leodii ad Catenam, in ſuburbano ad Vallem-Benedictam, Lovanii D. Gertrudis. Legati Pontificii permiſſu, & Epiſcopi aſſenſu, Canonici Leodienſes privatam vitam agere incipiunt. Sub idem tempus putamus Truonenſe, Maſeeanum, Hugardienſe, Cortſemenſe, Tudinienſe, Florinenſe, uttenſe, aliaque in Diœceſi Leodienſi anonicorum Collegia, formata, aut ibilita fuiſſe: cùm certiorem illorum iginem nondum deprehenderimus.

1206. D. Remigii Cœnobium Ciſternſe propè Rupefortem ponitur, à ginibus primùm, tũ à viris habitatũ.

1208. Philippus, quem deſerto rursùs one Leodienſes ſequebantur, conıat primas civium Leodienſium rogativas, nuper ab Alberto Cuiɔ conceſſas.

1211. Or-

1211. Ordo Cruciferorum Hui ſurgit ſub Theodorico Cellenſi, inde alibi.

1212. Mortuo Comite Mohanq, Brabantus cum Ottone Cæſare ſacris interdicto adversùs Hugonem conſpirat: Leodium, ſubito impetu captum, fœdè diripit: excommunicatus pacem petit, & impetrat. Moritur ſanctè Philippus Namurcenſis Marchio, templo D. Petri in arce Namurcenſi condito.

1213. Ramææ parthenon conditur. Leodium munitur ad portam Pagani, quâ parte captum fuerat à Brabanto; qui renovato bello, Tongrique incenſa, ad Steppas ingenti clade fractus, deſideratis ſuorum circiter ter mille, amiſsâ Leviâ, & Hanuto, Brabantia univerſa periclitante, pacem flagitat. Triumphus annuus D. Lamberto decernitur, & Cõmemoratio hebdomadatim in Officiis Eccleſiaſticis, ob manifeſta præſentis ab illo inter pugnandum auxilii indicia. Poſt Superos, præcipuum victoriæ decus, Præſulis, & Comitis Loſſenſis magnanimitati, & lanionum Leodienſium fortitudini, anniverſariâ ad decimam-tertiam Octobris memoriâ, tribuitur. Contrà, *Renero* teſte, præcipua

labes

labes fuit Donomartiniæ in Hasbaniâ gentis, quæ, ſeu vaſtitatis metu, ſeu quia centum annorum incolatu nondum peregrinos affectus exuerat, Principi & patriæ in hoc bello defuit, pugnamque otioſa ſpectavit. Ab eâ infidelitate viſa paullatim defloreſcere familia univerſa.

1214. Leodium Brabantus ſupplex venit, deducente Ferrando Flandrenſi Comite, & in æde D. Lamberti veniam Præſule, ac Canonicis, petit, flexis enibus. Ottoni, cui Federicum II. roceres Germani ſubſtituerant, clien-lam Hugo profiteri renuit, ab eo ta-en Trajecti amicè exceptus. Otto ullò pòſt in Leodienſes cum Belgis incipibus conſpirat, deſignatque di-nis totius partitionem, profligato ancico bello faciendam. Sed à Fran-ad pontem Bovinum, Tornacum er & Inſulas, victus, iras ponere co-ur. Falcomontii, & Juliacenſes per lericum Cæſarem, & Hugonem, jun-copiis coguntur imperata facere. ptum Leodii xenodochium Divi ahami, ad D. Joannis Baptiſtæ, pri-dotatore cerdone, aut ſutore, cui

cui nomen Joanni Gavorio. Præcipuam item dotationem Interpontanæ hoſpitali domui D. Juliani obveniſſe, perhibent *ejus domus tabularia*, ab Ægidio Corbeſerio, ſutoréve, ſeu familiæ id nomen, ſeu potiùs artis fuerit.

1215. Federici Imperatoris coronationi Aquis Hugo intereſt: mox it ad Lateranenſe Concilium, videturque tunc Romam detuliſſe partem capitis D. Lamberti.

1216. Templum D. Virginis in Juncis dicatur ab Epiſcopo Livonienſi. Eò immigrant poſt quinquennium Teutonici equites.

1218. Sanctè moritur Ludovicus Comes Loſſenſis. Hugo ſacros Ordines confert in æde D. Lamberti, uti & anno ſequenti. Otto quondam Imperator miſerè moritur. Clareſcit ſanctitate, & miraculis, Chriſtina mirabilis.

1219. Fruſtra tentatur abolitio Triumphi Steppæani per quoſdam Brabanti occultos fautores.

1222. Ex voluntate Federici patris, Henricus VII. Aquiſgrani coronatur, Hugone præſente.

1223. Avantii ſex fratres, ex Donomartiniâ

martiniâ gente, Homberto Lexio patre, avo Britone Vaiuſio, poſt exuſtam Lantinenſem Cornelîmontenſis domûs villam, in Avantio caſtro per Hugonem & militiam urbanam circumſidentur, coactique ad deditionem, jubentur à portâ Valburgiâ ad templum Cornelîmontanum nudis pedibus ſupplicabundi incedere, comitantibus eodem habitu conſanguineis nobilibus centum. Juſſi item ſarcire damnorum partem, & cavere in poſterum, fidejubentibus equitibus duodecim. Narrat *Henricurtius*, aitque ſe ex civitatis *tabulis* excerpſiſſe, cùm Conſul eſſet.

1224. Ruræmundam veniunt Ciſtercienſes virgines. Minores Franciſcani ſub idem tempus Trudonopolin veniſſe dicuntur. Aquiſgranum fortuito incendio abſumitur. Fames in Europâ invaleſcit.

1225, Conradus, ex Canonico Leodienſi & Monacho Villarienſi, eximiæ ſanctitatis Cardinalis, & Legatus Honorii III. Pontificis, Leodium venit, & dedicat Vallem-benedictam. Gertrude Mohana improle mortua, Hugo hæreditatem adit.

1226. Co-

1226. Comitatus Mohani poſſeſſio à Pontifice, & à Cæſaribus, firmatur Eccleſiæ Leodienſi. Omni jure cedit Brabantus, qui antè reclamârat. Renuntiat Hugo electioni ad Archiepiſcopatum Rhemenſem.

1227. Trudonopolis, Valciodorum, Haſteria, permutatione prædiorum cum Epiſcopo Metenſi, accedunt ad ditionem Leodienſem. Literas ipſas habet *Chappavillæus in Hugone*. Rupis fragmen ingens in ædem D. Virginis Dionantenſem devolvitur. Miracula invocato D. Perpetuo multa Dionanti patrata.

1228. Synodo convocata, Hugo quædam innovat, ob quæ dicitur divinitùs moneri juſſus de pœna imminente, niſi mutaret.

1229. Hui piè mortuus, Leodii ſepelitur, advocatis pridie mortis Leodium Dominicanis, qui tamen certas ſedes non acceperunt ante annum ſæculi triceſimum quartum. JOANNES APIANUS, ex Præpoſito Lambertiano, fit Epiſcopus Leodienſis LXVI.

1230. Joannes primum ſacrum facit Lambertivalle: Synodum celebrat Novomonaſterii.

1231. Per diſſidia Cæſarem inter ac Pontificem fluctuat res Leodienſis. Henricus Cæſar, Federici filius, decernit, confœderationes omnes irritas eſſe, ab Leodienſibus aliiſque oppidanis factas, ſine auctoritate Epiſcopi: habetur id diploma, uti & alia quædam poſtmodùm indicanda, in tabulariis Lambertianis, & libris, ætate noſtra, per controverſias publicas, editis. Otto Legatus Gregorii IX. Pontificis Leodii turbat, proripitque ſe, cum Præſule, Huum, ſacris ſubmotâ civitate. Contrà Federicus Cæſar queritur, Ottonem Leodii exceptum. Factiones, & cædes in ditione Leodienſi ortæ componuntur, per Federici cum Pontifice reconciliationem, non diu duraturam. Minores Leodium veniunt, &, paucis annis, in aliquot Diœceſeos loca. Grandepratum conditur. Milenium migrant virgines Benedictinæ ex ſuburbano Trudonenſi. Paullò poſt Solorientanæ virgines Ciſtercienſe inſtitutum amplexæ: & Molinium poſt annum circiter conditur.

1235. Bellofagetum ex Veterevineto emigrant Auguſtiniani Canonici: contrà, virgines omnes Bellofageto migrant ad

ad Vetuſvinetum, poſtmodùm ex Auguſtinianis factæ Ciſtercienſes. Eremitæ Auguſtiniani ſedem Lovanii figunt. Leodii in Graveria, ſeu Glareâ Transmoſanâ, ædes D. Virgini ponitur, eóque ex Vallebenedicta deducuntur Auguſtiniani Canonici, quibus poſtmodùm Scholares ſucceſsêre. Collocantur in Vallebenedicta Robertimontanæ virgines, nuper per publicos tumultus domo ſua pulſæ, pars rediture Robertimontem anno ſæculi quadrageſimo-tertio. Pleráque iſtorum, de domuum ſacrarum religioſarum initiis ac mutationibus, *Fizen* annotavit.

1236. Gueldriæ Comes clientelam profitetur Epiſcopo, & Eccleſiæ Leodienſi. Valeranus Luxemburgius, ita Scriptores noſtri vocant, quem externi Henricum, bellum Leodienſibus infert, vaſtatáque regione Francimontanâ, Tecta ſuccendit: poſt clades ipſi, Limburgióque fratri, abundè repenſas, pacem fictam facit. Exundans Hoïolus trecentas circiter domos Hui diruit, ut *Huenſes Scriptores* notavêre.

1237. Renovato bello, vaſtatur à Joanne ditio Luxemburgii, ipſéque

Luxem-

Luxemburgius prælio vincitur ad Jovis-montem. Iterum magno Hucnſium damno Hoiolus exundat.

1238. Pilovaccam obſidens Epiſcopus, cùm propè eſſet ut caperet, morbo cogitur Dionantum abſcedere, ibique moritur. Comitiis de ſucceſſore certatum, & factionibus lacerata patria.

1239. Cauſsâ per Pontificem decisâ, GUILIELMUS SABAUDUS, ex Valētino Præſule deſignato, fit Leodienſis Epiſcopus LXVII. & in itinere moritur.

1240. Dilatâ, Pontificii Legati juſſu, electione ſucceſſoris, poſt annum fermè ROBERTUS, ex Lingonenſi Epiſcopo, fit Leodienſis LXVIII. Boneffiæ parthenon conditur: poſtmodùm viri immigravêre.

1241. Robertus fruſtra Rhemenſem Archiepiſcopatum ambit.

1242. Synodus in æde D. Lamberti celebratur. Præſul emit pontem Leffiæ à Valerano ſive Henrico Luxemburgio: Dominicanorum tēplum Leodii dicat.

1244. Templum Minorum Leodii dicatur à Præſule, quo loco nunc eſt, cùm antè in Inſula ad trajectum fluminis fuiſſet, ubi eſt Bellus-reditus, ſeu

Bella-reparatio. Jacobus Vitriacenſis Cardinalis Romæ moritur: corpus Ogniacum in Diœceſin Leodienſem reportatur, ubi vitæ partem egerat.

1245. It Robertus ad Concilium Lugdunenſe, cum Jacobo Pantaleone Archidiacono Leodienſi, pòſt Legato Pontificio, ac Pontifice. Henricus Thuringius, abdicato Federico, Cæſar renuntiatur. Leodii, ope D. Virginis, per ſolennem ſupplicationem pluvia impetratut. Obtinet Robertus, ut ab ordine Ciſtercienſi univerſo celebretur feſtum D. Lamberti. Florent Divæ Lurgardis, Juliana, aliæque.

1246. Indicit Præſul totâ Diœceſi feſtum Venerabilis Sacramenti. Templum D. Leonardi dicat in ſuburbano Huenſi. Foſſis piè moritur.

1247. Celebratur in D. Martini, à Canonicis, feſtum Venerabilis Sacramenti, uti & annis ſequentibus. Henrico Cæſari mortuo ſubſtituitur Guilielmus Hollandus. Illegitimus quidam, quantumvis commendante Legato Pontificio, in Divi Lamberti Collegium non admittitur. HENRICUS GUELDER, ex Canonico D. Lamberti,

fit

fit Leodienſis Epiſcopus LXIX.

1248. Aquas obſidet Guilielmus Cæſar cum Henrico Gueldro,& poſt ſex menſes capit. . Guilielmus Canonicus Aquenſis fit Abbas Trudonopoli,tertio poſt novitiatum monaſticum die, ut *Trudonenſes Commentarii* perhibent.

1249. Incipit Epiſcopus electus uti Vicario Epiſcopo , ſive Suffraganeo. Carmelitani cōduntur Leodii : ad quædam deinde Diœceſeos loca Carmelitides virgines diffuſæ. Cantor D. Lamberti effætis Sacerdotibus domum ponit in Auroto, ubi poſt paucos annos poſiti Guilielmitæ.

1250. Lambertiani templi penetrali, ſeu Choro utcumque reſtaurato, dicatur altare majus. Lex ſumptuaria de creatione Equitum, ſive Militum, Leodii ſtatuitur. Bellum Moſomagenſe, ob controverſiam de caſtro Dozio,Epiſcopus juvenili temeritate aggreſſus, leviter deſerit, cùm oppidum propè à deditione abeſſet.

1251. Edictum Leodii propoſitum de rebus venalibus , aſſenſu Ordinum omnium.

1252. Cardinalis Hugo,Legatus Pon-

tificius, celebrato in D. Martini abhinc triennium feſto Venerabilis Sacramenti, illud per omnes legationis ſuæ fines ſancit. Leodii tumultus ingentes exorti, ob civem à domeſtico Canonici læſum, & alium ab externo quodam impunè occiſum. Scabini ſacris ſubmoventur, ſive excommunicantur, Civitas interdicitur, Princeps & Canonici exeũt.

1253. Interventu Gueldri Comitis ſopitâ diſcordiâ, redeunti Leodium Principi obviàm procedunt ſupplicabundi cives. Sub exeuntem annum, recrudeſcente tumultu, creantur à plebe Burgimagiſtri, ſeu Conſules, qui res civitatis ſub Principali poteſtate curarent: cùm antè per Scabinos, delectoſque ex eis Magiſtros annuos, ex veteri inſtituto adminiſtrarentur. Primus Conſulum fuit Henricus Dionantius, vir facundus & plebicola: collegam manuſcripti codices nominant Joannem Germæum. Suffecti poſt annum Mathæus Abæanus, & Gerardus Belloſirius. Tumultu cæptus magiſtratus, mox in legitimum tranſiit, aſſentiente & indulgente Principe. Primis annis plebeios ferè fuiſſe comperio: paullò poſt patricium nobilémve

lémve unum, plebeium alterum: poſt Othæanam cladem, nunc patricios nunc plebeios indiſcriminatim. Variæ in comitiorum ratione mutationes fuêre, ut locis ſuis indicabimus.

1254. Principe bellum Hannonium cogitante, Conſules intercedunt, & obturbant. Princeps, maxima pars Canonicorum, Scabini, Leodio excedunt. Guilielmus Cæſar pronuntiat, Leodienſibus militiam detrectare non licere, Principe bellante. Trudonenſes, & Huenſes fœderantur Leodienſibus, ac Conſules creant. Utrimque excurſiones fiunt. A Legato Pontificio pax brevis fit, & feſtum Venerabilis Sacramenti iterum ſancitur.

1255. Hui motus oritur, ob illegitimam civium aliquot per Scabinos proſcriptionem: inde majores prioribus turbæ Leodii. Dionanti item, & Trudonopoli. Domus Scabinorum Huenſium à plebe expilantur. Sacris civitas interdicitur. Trudonopolis à Principe obſidetur, & capitur: Huenſes cæduntur: Leodium, ubi ſeditioſi etiam Scabinorum domos expilârant, & diruerant, premitur. Fit pax Berſetana, ſic

dicta à colloquii loco. In ea præcipuè conſtitutum de damnis reſarciendis, datique Principi vades mille, & conſignata porta Valburgiana.

1256. Guilielmus Cæſar à Friſiis occiditur. Leodii diſſidia, Canonicos inter ac cives, de tributis naſcuntur. Eâ occaſione coorti rurſus ſeditioſi, ſed mox diſſipati. Dionantio elapſo, qui deinde apud Margaretam Flandriæ Comitem gratiâ floruit, ſeditioſorum unus, qui quartus Conſul fuerat, captus, & ſuſpenſus: Belloſitium nominavimus, artificem ſellarium fuiſſe conſtat: proſcripti alii. Arx Valburgiana fit, aut inſtauratur per Principem: Trudonenſes item plectuntur, & arx imponitur. Ita partim *Hocſemius*, partim *Tranſmoſanus*, & *Hiſtorici populares*

1257. Frater Regis Angli Richardus creatur Cæſar, & Aquis coronatur.

1258. Cæſar Huum venit cum ſplendido comitatu. Henricus conſecratur Sacerdos, & Epiſcopus, poſtulaturque in Stabuletenſem Abbatem.

1260. Præmonſtratenſibus virginibus parthenon Requèmii conditur.

1261. Jacobus Trecenſis ſeu Pantaleon,

65
leon, nuper Leodienſis Archidiaconus, fit Pontifex Maximus Urbani IV. nomine. Ad eum Henricus ſcribit pro feſto Venerabilis Sacramenti ſanciendo.

1264. Urbanus celebrat, & edicit feſtum Venerabilis Sacramenti, eaque de re ſcribit ad Evam recluſam Martinianam. Eum in modum, præcipuâ Diœceſis Leodienſis gloriâ, propagatus nunc orbe univerſo auguſtiſſimi Sacramenti honor: quemadmodùm ſupra alterum abhinc ſæculum propugnatus. Qua de propugnatione, cùm jam abſoluta eſſet anterioris folii editio, ſuggeſſit quiſpiam: quod Durandus ex communi hiſtoricorum ſententiâ ſcripſiſſe dicitur contra Berengarium, commodiùs forſan fore, ſi dicatur ſcripſiſſe adversùs Stephanum, itidē hæreticum, qui Berengario præivit. Literas autem adversùs Berengarium à Præſule Leodienſi ſcriptas, conciliandis aptè temporibus, cæteriſque difficultatibus, Theodvino tribui poſſe, qui in Berengarianam ætatem incurrit: & ſic ſentire Papirium Maſſonum. Ita ille non omninò malè, viri tamen non omninò boni functus officio, ut locis ſuis ipſe

advertere poterit, præſertim in calce præmonitionis ad Lectorem.

1267, Henricus Mechliniam, impulſu & auxilio Brabanti rebellantem, obſidet: Trajectum totum, pulſis Brabantis, ſibi vendicat: Jaceanum toparcham rebellem comprimit.

1269. Aſtu capta per cives, abſente in epulis nuptialibus præfecto, arx Valburgiana, diruitur: pro ea Henrico appenduntur per civitatem tria marcarum millia. Tanti erat excutere jugum deguſtatæ nuper, magno Ordinum omnium malo, libertatis.

1271. Motus novi, à ſacro pariter & profano Ordine, excitantur adversùs Henricum, ob effrænem ejus ac pudendam libidinem. Theobaldus Archidiaconus Leodienſis tædio temporum excedit Leodio, & à Cardinalibus inter ſe diſſidentibus conſenſu eligitur Pontifex Maximus. De eo cantatum, pro ejus ævi facundia non ineleganter: *Papatus munus tulit Archidiaconus unus, Quem Patrem Patrum fecit diſcordia fratrum.*

1272. Theobaldus Romam venit, & Pontifex conſecrâtur Gregorii X. nomine. Paullò poſt gravibus literis, quæ apud

apud *Hocſemium* habentur, Henricum Epiſcopum monet,ut gregi ſuo, ac ſibi, paſtor invigilet, quia *plus vigilare, plus vivere eſt.*

1273. Cæſar Rudolfus, præſente Henrico noſtro, definit, intra Imperii fines Juriſdictionem eſſe nemini, qui ab Imperatore non acceperit: item beneficiaria prædia, ſeu feuda, abſque Cæſaris permiſſu, alienari, ſeu alteri poſſeſſori tranſdi non poſſe.

1274. Ad Concilium Lugdunenſe evocatur Epiſcopus, & abdicatur. Sufficitur à Pōtifice JOANNES ENGIENSIS, ex EpiſcopoTornacenſi Leodiēſis LXX.

1275. Rudolfus Cæſar binis literis confirmat Eccleſiaſticam libertatem Canonicorum Leodienſium. Condroſorum Præfectus, ſeu Ballivus, ex Jallanio, prædio Gonenſis toparchæ, vaccam abducendam curat ob noxam aliquam: ita *Hocſemius* refert. Sed *Hiſtorici populares, & codices manuſcripti*, narrant, ruſticanum Jallanienſem, abactâ vaccâ ex mercatu Cennacenſi, deprehenſum in abigeatu, ſuſpenſumque, juſſu Præfecti Condroſorum. Indignatus Gonenſis toparcha, auxilio

Bellofortenſis & Falæſii, fratrum ſuorum, Condroſos incurſat. Deinde, aperta defectione ac rebellione, tres fratres à vicinis Principibus, Brabanto, Namurcenſi, ac Luxemburgio, ſuppetias petunt, adversùs Principem ſuum, eiſque ſe ſubjiciunt.

1276. Luxemburgius Cennacum captum incendit, ipſamque D. Virginis ædem, cum omnibus qui eò refugerant. Viciſſim à Leodienſibus Rendarca ſpoliata exuritur, vicique triginta circumjecti. Meffia à Brabantis, Varnantum à Namurcenſibus incenditur: aliâ parte Namurcenſes à Dionantibus cæſi, Brabanti à Leodienſibus. Poſt ingentia damna accepta, & illata, pax Leodienſes inter & Principes vicinos, arbitro Franciæ Rege, componitur, ea lege, ut Fallæſium, Bellofortenſe, & Gonenſe, caſtra trium fratrum rebellium, in Leodienſi ditione ac jure maneant: ita paſſim *Hiſtorici* aſſerunt, fidiſſimique *Manuſcripti codices.*

1277. Comes Juliacenſis, duoque filii, Aquas invadunt, & occiduntur.

1281. Joannes Epiſcopus Hugardi capitur, Henrici Gueldri juſſu, & equo impo-

impoſitus, ex ſuccuſſione moritur. Pons lapideus Trajecti inchoatur. De Epiſcopo eligendo diſceptatur.

1282. Præmaturâ vindemiâ vulgati morbi, morteſque inde plurimæ Leodii & Hui. JOANNES FLANDER, filius Guidonis Flandriæ Comitis, ex Epiſcopo Metenſi, fit Leodienſis LXXI.

1283. A Carolo Siciliæ Rege, ad decretorium cum Aragonio Petro certamen, invitantur è nobilitate Leodienſi tres, famâ fortitudinis clari, Haneffius, Hemricurtius, Mumalius. Agnatos fuiſſe ex Donomartiniâ gente, ſcribit *Hemricurtius*: qui & nomini ſuo indulgens Hemricurtium inprimis celebrat ab animi viribus, & robore corporis tanto, ut aliquando generoſum equum, cui inſidebat, calcaribus maximâ vi incitatum, apprehenſo tiliæ ramo ſtiterit, quantumvis eluctari conantem.

1284. Henricus Guelder, nuper Epiſcopus Leodienſis, moritur.

1285. D. Odiliæ corpus infertur Huum: pons lapideus ibidem inchoatur, quamvis alii conſignant abhinc

 annum

annum nonum. Epiſcopus & Clerus Leodio Huum excedunt, ob patriciorum & nobilium inſolentiam & temeritatem, in tributis contra fas, injuſſu Principis, & abſque Cleri populique conſenſu, imponendis.

1286. Inſtaurat Epiſcopus arcem Huenſem, aulámque exſtruit, cui Flandricæ nomen.

1287. Pace Clericorum factâ, Epiſcopus Leodium redit, & Synodalia decreta publicat: Legem Mutatam, in qua de tributis & mulctis ſtatuitur, auctoritate ſua firmat. Inter venandum in Bullionenſibus ſilvis, capitur, juſſu novercæ, ut ferunt.

1288. Libertati redditus, juvat Brabantum Voroncano bello, pro Limburgio Ducatu, contra Gueldrum. Præmonſtratenſes ex Cornelimonte immigrant in domum Belli-reditus.

1291. Brabanti & Limburgii tentant noctu caſtrum Cornelimontis, ſed fruſtra: pars capti, pars cæſi.

1292. Quindecim è captivis Dionantum abducti plectuntur. Moritur Joannes.

1293. Sciſſis pro ſucceſſore ſuffragiis eligun-

eliguntur duo, & Romam vadunt, ſed fruſtra, adhuc vacuâ Sede Romanâ à morte Nicolai IV.

1294. Impetrat Guido frater Comitis Hannonii, electorum alter, Regalia ab Adolfo Cæſare: fratrem juvat bello Valencenenſi. Saltantes in Trajectenſi ponte, neglectâ Venerabilis Sacramenti, quod illàc deferebatur, veneratione, Mosâ hauriuntur, repentè diſrupto ponte. Narrat *Bruſtemius.*

1295. Lis Guidonem inter, & Guilielmum Bertholtium, alterum electum, Romæ agitatur, eâque pretium Mirevartio caſtro, quod oppigneratum nuper fuerat, recuperando deſtinatum abſumitur. Trajecti, Leodienſes & Brabanti inter ſe rixantur: Brabantus poſſeſſionem totius oppidi invadit,

1296. Bonifacius Pontifex pronuntiat irritam utriuſque electionem: Guilielmum donat Epiſcopatu Ultrajectino: Guidonem vacuum dimittit, firmatis tamen ejus actis. Creatur ab illo Hugo Cabilonensis, ex Comitis Burgundi filio, Leodienſis Epiſcopus LXXII. Annonæ vinique magna caritas.

tas. Trajectum ſubito impetu Præſul occupare conatur, deinde obſidet: ſed, interventu Luxemburgii, controverſia cum Brabanto componitur, non ſine damno Eccleſiæ Leodienſis.

1297. Nobilis ex Varuſia gente adoleſcens; ruſticanâ puellâ locuplete ex Avantio vico in matrimonium ductâ, ſupellectilem ejus evehit. Eam ſupellectilem ſibi deberi Avantius, ejus vici Defenſor ſive Advocatus, contendebat, quia puella erat ex ſubdititio genere, & aliò emigrabat. Inde ad arma ventum ab utraque familia & affinibus, vaſtati agri, caſtra obſeſſa. Abſente Præſule, Joannes Cabilonenſis ejus frater, Mamburni ſive Interregis titulo rempublicam adminiſtrans, partes fruſtra componere ſatagit. Reverſus Præſul Avantios, qui ferociores videbantur, jubet ab armis diſcedere: obtemperare nolentes repentè in Avantio caſtro circumſidet, & ad veniam petendam adigit, conceditque ea lege, ut ſupplici habitu, pedibus nudis, procedant ſinguli à porta Martiniana ad Cathedralem D. Lamberti ædem, ſellaſque equinas capitibus nudis deportent.

1298. Ini-

1298. Inimicitiis recrudeſcentibus, Avantii Varuſios, Berloziis junctos, aggrediuntur. Cadit Avantius primus turbarum motor.

1299. Ingens Hui ſeditio exoritur, obtentu injuſtæ ſententiæ, & ob avaritiam judicum, quibus *ſolenne eſt magno vendere, ſi caro emerunt.* Plebs armata, elatis tribuum vexillis, concurſat, & Scabinorum omnium ædes expilat. Præſul, placandæ plebi, Scabinos omnes exauctorat, novosque ſubſtituit. Exauctorati, Leodium cum familiis refugiunt, opemque implorant. Inde Leodienſibus bellum in Huenſes, & Præſulem, variæque excurſiones utrimque, & cædes.

1300. Jubilæum celeberrimum, & eo nomine primum, ſive Sæcularis Indulgentia, promulgatur Romæ à Bonifacio Pontifice. Exundante Moſa ſubruitur Hui pons ligneus, & pars pontis lapidei.

SÆCU-

SÆCULUM DECIMUM-QUARTUM.

1301. Hugo apud Pontificem à Leodienſibus de bello Huenſi, corruptâ monetâ, aliiſque capitibus accuſatus, transfertur ad Epiſcopatum Veſontinum. Subſtituitur à Pontifice AD[illegible]S VALDEGIUS, ex Canonico D. Lamberti Leodienſis Epiſcopus LXXIII.

1302. Adolfus Huenſes, ob tumultus Hugone Præſule excitatos, mulctat: Foſſenſes, adversùm ſe auſos inſurgere, comprimit: Mirevattium diruit, & revindicat: fœneratores, Scabinorum patrocinio fultos, expellit Leodio: moritur. Per interregnum, Patricii ac Scabini, ad tributa iniquè exigenda, per liberos ſuos, factionem Francicæ juventutis excitant, ſeu Cucullatorum, ab albo cucullo, birróve, ſic dictorum. Ortâ inter eorum quoſdam & laniones rixâ, poſt patratas aliquot cædes, ingruentibus undique armatis civibus, controverſia ad Canonicos Eccleſiæ Cathedralis deducitur. Decano Joanne Cambia-

Cambiano, è patricia licèt familia foret, plebi favente, civibusque magno ſtrepitu amiſſa repetentibus, rationesque tributorum poſcentibus: denique Conſulum unus, quem Gonterium Valterúmve Fullonem manuſcripti codices nominant, Scabinos adigit, ut ſpondeant, ſeſe deinceps, citra civitatis conſenſum, nec tributa impoſituros, nec dona militiámve conceſſuros, nec de cenſibus creandis acturos.

1303. Diſtrahuntur ſuffragia pro eligendo Præſule. Conveniunt demum omnia in Guilielmum Canonicum D. Lamberti, ex obſcuro genere Atrebatenſi. Ipſo electioni renuntiante, THEOBALDUS BARRENSIS Romæ abſens, ex Canonico D. Lamberti, fit Leodienſis Epiſcopus LXXIV. Fratres duos Româ Leodium præmittit, eorum altero Interrege ſeu Mamburno creato, qui Trajectum rebelle fruſtra obſidet, vaſtatque Brabantiam. Theobaldus Leodium venit ſub Novembrem: Huenſes compellit ad mulctam, quam nuper Adolfus impoſuerat, ſolvendam. Pax cum Brabanto.

1304. Præſul, à Patriciis, ac Scabinis Leo-

Leódienſibus, adversùs civitatem concitatus, bellum parat; ſed mox, ſanioribus conſiliis auditis, pacem facit.

1305. Bello Francico pro Flandris pugnans filius Comitis Juliacenſis, Archidiaconus Leodienſis, occiditur. Narrat *Hocſemius.*

1307. Templariorum Ordo extinctus. Mechlinia, nuper Brabanto per Henricum Güeldrum, reclamantibus licèt D. Lamberti Canonicis, oppignerata, ultrò redit in Epiſcopi poteſtatem: inde bellum cum Brabanto, & pax, citra ſanguinem.

1308. Theobaldus in provincia Interamnenſi Montevirolium caſtrum, à Lotharingiæ Duce ædificatum, diruit, Agimontem recipit, Givetum rebelle incendit, aliaque fortiter gerit.

1309. Tudinium obſidione Hannonii liberat: de Mireyartio caſtro per arbitros tranſigit, ut Hannonius illud teneat, tamquam Eccleſiæ Leodienſis cliens, beneficiario jure.

1310. Hyems áſpera, tum inundatio privatis damnoſa. Sequitur Præſul Henricum Luxemburgium Cæſarem in Italiam, ad componendas factiones.

1312. Ro-

1312. Romæ ſtrenuè contra hoſtes Pontificis ac Cæſaris pugnans Theobaldus, vulneribus conficitur, & ſepelitur in D. Petri. Leodienſes Patricii, quorum tunc ingentem fuiſſe numerum comperio, familiasque inprimis ſenas totidem urbis regionum præcipuas: Pratanam vetuſtiſſimam in Trans-moſana, Inſulenſem in Inſulâ Notgerianâ, Sanmartiniam in Forenſi regione, Novovicanam in Novovico ſeu Supremi pontis, Feronſtræanam in Ferrariorum vico ſeu ſtratâ, Sanſervatianam in publico monte. Acceſſerat ad illas jampridem ex regione Juliacenſi numeroſa Surletorum gens, qui & Bareti, & Lardarii: Cambianorum iter, Mallartiorum, Corneorum, Chabotiorum, Pollartium, Heziorum, Lavatoriorum, Pannetiorum, aliæque familiæ pars ex iſtis enatæ, pars agnatæ. Nomina *Hemricurtius*, & antiquarii cæteri exhibent: nunc paucæ ſuperſunt, ſubnaſcentibus novis veterum loco familiis, ut eſt mortalium rerum viciſſitudo. Patricii ergo Leodienſes nuper à Canonicis D. Lamberti civibusque compreſſi, nunc vindictæ avidi, cum reliqua

patriæ

patriæ nobilitate adversùs illos conſpirant. Electionem Interregis fruſtra turbare conati, caſis lanionum in foro flammas injiciunt, quartâ Auguſti, noctu. Ad arma concurritur, & pugnatur. Nobiles, occiſo Arnoldo Blanquenemio Præpoſito Lambertiano, aliisque, ſuorum longè pluribus amiſſis, in D. Martini templum, occluſo per portam civitatis exitu, refugiunt, & cum templo ipſo facilè ducenti, *Varnantio* teſte, concremantur. Pars alia per privatas domos elabitur: aiuntque quidam, in unius matronæ, quam Mariam Foxiam vocant, domo ſervatos quinquaginta ſupra centum, delinitis præbito potu civibus.

1313. Creſcunt odia gentilia inter familias nobiles Avantiam, & Varuſiam, atque affines earum, pugnaturque ad Varemiam pejore illorum conditione. Adolfus Marcanus, ex Præpoſito Vormatienſi, fit à Clemente V. Pontifice Leodienſis Epiſcopus LXXV. & conſecratur à Tuſculano Cardinali, Leodium intrat Natali Chriſti, & condonato civitati incendio ædis Martinianæ, mandat tamẽ, ut reſtauretur ſumptibus publicis.

1314.

1314. Huenſes, eorumque fœderati Varuſii, aliique, metu pœnæ rebellantes, diſſipantur ab Adolfo, & ad obſequium redeunt.

1315. Federico Auſtrio, contra Ludovicum Bavarum de Imperio contendenti, Adolfus favet, & Regalia obtinet à Scabinis Francofortenſibus. Concitantur à nobilibus quibuſdam ſeditioſis Leodienſes, & Huenſes, adversùs Præſulem, qui relicto Leodio curias Dionantum tranfert: utrimque cædibus & ignibus ſævitur. Herquenrodæ Venerabile Sacramentum miraculis celebrari incipit.

1316. Inter partes mutuis damnis attritas fit tumultuariè pax Fexana, quæ tertio loco inter pacta numeratur. Hugo Leodienſis nuper Epiſcopus, nunc Veſontinus, moritur.

1317. Hortulenſe in Interamne Cœnobium conditur: ædes D. Virginis Valcuriana inſtauratur, & miraculorum famâ clareſcit. Fexæ iterum convenitur ad conditiones pacis explicandas, quarum præcipua, ut lege adversùs reos ageretur: homicidas tamen igne Præſul perſequi poſſit.

1318. Fal-

1318. Falcomontius Comes, Trajectenſibus infeſtus, ab Epiſcopo & Brabanto domatur. Luxemburgia ditio ab Epiſcopo vaſtatur.

1319. Bellum Dionantenſes inter ac Bovinienſes oritur, ſub anni finem: ab his aliquot illorum captivi occiduntur. Turris, cui nomen Monti-ſuperbiæ, ſtruitur à Dionantenſibus.

1320. Tota Namurcenſis ditio ab Epiſcopo vaſtatur: fiunt induciæ.

1321. Violatis per Bovinienſes induciis, Epiſcopus Bovinium obſidet: aliâ parte Comes Namurcenſis, Hasbaniam ingreſſus, profligatur per agrariam militiam, duce Bovinißtere.

1322. Cennaci Namurcenſes cæduntur: Pilovacca per Dionantenſes diruitur, Vaſægia per Huenſes. Namurcenſis cogitur ad petendam pacem.

1324. Miraculis celebratur imago D. Virginis Hui in æde principe. Erumpunt Leodii tumultus novi, & conatus ad auctoritatẽ Præſulis convellendam: Huum ipſe diſcedit, & curias transfert.

1325. Interdictâ ſacris civitate, Canonici D. Lamberti, cum eorum auctoritas ac libertas, inſtante, præſertim

Hano-

Hanoſeto Conſulum uno premeretur, effugiunt, manetque ſolummodò Leodii cum paucis ſimulacrum Collegii. Narrat *Hocſemius*. Rursùs Varuſii & Avantii cōcurrunt ad Donomartinium, licèt Princeps inducias, ſeu quadragenas, ut tunc loquebantur, imperaſſet, miſſis ad hoc fæcialibus. Varuſiorum, quibus Huenſes favebant, pejor conditio fuit. Avantios tuebatur civitas: aucta inde Principis indignatio, & publica diſcordia.

1326. Abbas D. Nicaſii Rhemenſis partes conciliare conatur: deſignatque pacem Vihonenſem.

1327. Hoiolus ſudo cælo exundat. Leodii turbæ congeminatæ, incenſæque in Hasbaniâ domus fautorum Principis, quas recenſet *Hocſemius*.

1328. Canonicorum Secundariorum plurimi Leodio profugiunt Huum. A civitate ad Pontificem delegati contra Præſulem in itinere capiuntur. Eorum unum nominat *Hocſemius*, Joannem Lardarium ex equeſtri Ordine: quem *Hemricurtius* ait Joannis Surleti, primi è civibus Leodienſibus in Ciſmoſanâ regione Equitis, filium fuiſſe, diuturnáque:

náque: deinceps gratiâ apud plebem adeò floruiſſe, ut vulgò ſeſe beatos, vel ſolo ejus occurſu aut adſpectu, exiſtimarent. Sed poſteaquam Engelbertum Marcanum ex officii ſui ratione, deſertis in civili bello plebis partibus, ſecutus eſt, gratiam in odium, pro ingeniorum popularium mutabilitate, vertiſſe. Canonici D. Lamberti ſcribunt pro cauſsâ Præſulis, ad Pontificem, & ad Decanum ſuum, qui erat Cardinalis. Leodienſes, cum fœderatis Tongrenſibus ac Trudonenſibus, cæduntur bis à Præſule. Tongris obſidetur: fit pax, publicaturque pactum Vihonienſe, gravi mulctâ Leodienſibus impoſitâ.

1329. Ad mulctam Epiſcopo pendendam, Leodii tributum ſuper rebus venalibus imponitur, antè licèt ejuratũ: juramenti gratiam faciente Pontifice.

1330. Canonici paullatim Leodium redeunt. Flonenſi pace explicatur Vihonienſis, quâ cœtus civium vetabantur, & tribubus ſublatæ fuerant quædam prærogativæ.

1331. Novam ſeditioſorum conſpirationem molitur Petrus Andricas Exconſul, ferox ingenio, acer linguâ, Avantiæ

Avantiæ genti vel affinitate vel amicitiâ illigatus. Reper uxorem unius è conjuratis detectâ, proſcriptus Andricas aliique, captus unus & plexus. Pace Vottemienſi Præſul quædam civitati, ad eligendum civicum magiſtratum, indulget.

1332. Præſul, ob injurias per Brabantum Trudonenſibus illatas, in illum cum variis Principibus conſpirat. Pax fit, interventu Regis Galliæ.

1333. Mechlinia, quòd ſæpè domino ſuo Leodienſi Epiſcopo rebellaret, ab illo, ex Collegii Cathedralis conſenſu, venditur ingenti ſumma Comiti Flandriæ, qui ſe idcircò clientem Eccleſiæ Leodienſis profitetur, ut affirmat *Hocſemius.*

1334. Iterum Principes fœderantur contra Brabantum, qui, cladibus fractus, pacem pecuniâ redimit. Viſetum oppidum munitur, Præſulis juſſu. De Archidiaconorum judiciis, & jure, fit conventio per arbitros. Leodii primùm cœpti anni à Chriſti natali numerari, cum antè à Paſcha Francorum moribus inciperent.

1335. Lex de homicidiis fertur, ut

ſint capitalia. Pax fit Varuſios inter & Avantios, ſeu pax duodecim familiarum, inter pacta quintum, poſtquam, annis circiter triginta octo, millia hominum ſupra viginti, per earum familiarum factiones, abſumpta fuerant, teſte, poſt ejus ævi ſcriptores, *Bruſtemio*. Quod autem duodecim ſolùm familiæ nobiles in eo pacto memorantur, idcircò fit, quia plures odiis bellisque non erant implicitæ: aliis ſapientioribus inſaniam pugnantium quietè ſpectantibus.

1336. Moritur abſque liberis Ludovicus Loſſenſis Comes, cliens Eccleſiæ Leodienſis. Urgetur Adolfus, ut poſſeſſionem Comitatûs ineat: ſed diſſimulanter agit, in favorem Hinsbergii ſororii ſui, cujus mater erat Ludovici Loſſenſis ſoror.* Inde aucta diſſidia ipſum inter, & Canonicos D. Lamberti. Ab Engelberto Marcano Præpoſito Lambertiano cœptum ſacellum, quod Clericorum vocant.

1337. Brabantiæ Dux, plexis apparitoribus duobus Leodienſibus, excommunicatur cum omni ſua ditione, bellumque ipſi indicitur. Pontifex Adol-

ſum

ſum officii ſui commonet, de Loſſenſis Comitatûs adeundâ poſſeſſione. Publicantur ſtatuta de curiis Eccleſiaſticis, earumque officiis. Additamenta quædam anno abhinc ſeptimo fiunt.

1338. Pax cum Brabantô. Arbitri de controverſia Loſſenſi, Adolfo ſatagente, electi, pronuntiant pro Hinsbergio, reclamantibus Canonicis D. Lamberti, & ad Pontificem appellantibus. Corpus D. Hadelini, & Collegium Canonicorum, Cellis Viſetum traducuntur. Rex Angliæ fit vicarius Imperii à Ludovico Bavaro: ei Pontifex vetat Leodienſes obedire.

1339. Dionanti cives aliquot, ab Adolfo proſcripti, pacem pecuniâ redimunt. Nundinæ ab eodem Leodii inſtituũtur. Acceptis à Rege Galliæ florenorum millibus ſexaginta, ei militat cũ equitibus quingentis, cõtra Anglum.

1340. Hannonius Comes in loco Lambertiani conſeſſus, ſeu Capitulo Cathedrali, profitetur ſe clientem Eccleſiæ Leodienſis; narrant, qui ſpectavêre, *Hocſemius*, aliique.

1341. Ob exuſtas in vicis Cathedralis Collegii, juſſu Præſulis, domos,

controverſia oritur, mox ſopita, Canonicorū pluribus Præſuli aſſentientibus.

1342. Fit Pontifex Max. Clemens VI. alumnus quondam Collegii Cathedralis Leod. Mechlinia fortuitò conflagrat. Hinsbergii filius moritur, Adolfi ex ſorore nepos, cujus cauſsâ, in poſſeſſione Loſſenſis Comitatus adeunda, tot annis diſſimulanter egerat.

1343. Adolfus ſeriò monet Hinsbergium, ut Comitatu Loſſenſi cedat: parere nolentem ſacris ſubmovet. Huenſes ob monetam reformatam rebellant, & Brabanto junguntur: paullò poſt à Legato Pontificio tum ipſi, tum Brabantus, excommunicantur. Obloquiis Leodii adversùs miniſtros, & officia Principis, creſcentibus, tribunal Vigintiduum-virale deſignatur: & civitati ac tribubus plebeiis, quæ nuper Vihonienſi pacto vetita erant, indulgentur per literas Jacobenſes.

1344. Fit pax cum Huenſibus, interventu Hannonii. Adolſus diſcerpit literas, quibus deſignatum erat tribunal Vigintiduum-virûm: æger animi, ob Huenſium præſertim motus, moritur Claromonte, caſtro Leodium inter & Huum

Huum ad dextram Moſæ ripam, quod clientelæ nomine Avantius tenuerat, & ob noxam, poſtremo cum Varuſiis certamine commiſſam, amiſerat.

1345. Engelbertus Marcanus, ex Præpoſito Lambertiano, fit per Pontificem Leodienſis Epiſcopus LXXVI. Repetundarum damnantur Leodii primores quidã, & exulant, mox revocantur, interventu Luxemburgii Boëmiæ Regis, & mulctâ impoſitâ. Floret ſcientiæ & virtutis famâ Joannes Magnavillanus, Cruciferorũ Prępoſitus Generalis.

1346. Ob ſupplicium de homicidâ abſoluto ſumptum à Condroſorum Præfecto, Huenſes tumultuantur, & Propræfecti domum incendunt: inde Huenſibus Leodienſes, aliæque urbes fœderantur adversùs Præſulem, eumque Vottemiâ, quam muneroſo & florente auxiliarium Principum exercitu aggreſſus erat, repellunt cum dedecore, & clade: deinde in agros effuſi, caſtra Claromontanum, Hamalium, aliáque, capiunt, & diruunt. Fiunt induciæ, & de pace tractatur.

1347. Civitas Præſuli aureorum ſupra centum millia offert, ſi amotis Sca-

binis, ſeu Judicibus perpetuis, annuos ſubſtituat. A Rege Galliæ mittuntur conciliatores pacis: ſed tractatus per Brabantum diſturbatur. Limburgii in agrum Leodienſem excurrunt, cæduntque, & cæduntur. Leodienſes, captâ ac dirutâ Argentæâ, ad Turrinas per Epiſcopum, ac Brabantum, alioſque Principes fœderatos, ingenti clade fracti, pacem ſupplices petunt. Brabantus, victoriâ in ſuum commodum uſus, Varemiam exurit, Trudonopolim capit, Hasbaniam vaſtat.

1348. Dionanti, ob plebeios tres à nobilibus occiſos, Leodii ob monetæ pretium, motus exorti ſedantur per præſulem. Proba moneta cuditur. Lues horrenda toto orbe graſſatur, abſumpta, ut fertur, & *Radulfus* narrat, fermè dimidia hominum parte. Sacerdos, qui Trudonopolin prodiderat Brabanto, eâ receptâ, diſcerpitur.

1349. Intereſt Engelbertus Aquis coronationi Caroli IV. Cæſaris. Inundationes Leodii peſtem augent. Tranquillum curſum cætera tenent, & pacis artes ac pietatis opera excoluntur. Sub hoc enim tempus pleræque in ſingulis

gulis ferè parœciis Leodienſibus virginum viduarumque dotationes, Beguinarum titulo, factæ. Celebratus inprimis caritate & pietate Joannes Moſtadius, opulentus civis Leodienſis, conditor hoſpitalis domûs in D. Andreæ parœciâ, cujus ſororem Stephano Criſegnæo nupſiſſe ſcribit *Hemricurtius.*

1355. Bellum naſcitur Flandrum inter, ac Brabantum, de Mechlinia. Auxiliatur illi Engelbertus, tamquam clienti ſuo, & Brabantiam depopulandam curat. Duxit Lambertus Upæus, à Principe militiæ omni Præfectus, Mareſcallum Epiſcopi olim vocabant, vir militiæ clarus domi foriſque, & ad magnas opes honoreſque evectus: quem deinde *Hemricurtius* narrat, mirâ fortunæ mutatione, ab ipſis liberis ſuis exagitatum, tædio rerum, ſolis famulis duobus comitibus, abſceſſiſſe in Inſulam Rhodum, ibique obiiſſe. Eo ductore, Chabotioque, ac Sanmartinio, fugatus Brabantorum exercitus, ager latè vaſtatus. Paullò póſt Princeps, Caroli Cæſaris, cujus frater erat Brabantiæ Dux, rogatu, ab armis diſceſſit: moxque inter partes pax ſancitur.

Scabinus Leodienſis proſcriptus à collegiſ, fruſtra Cæſarem appellat. Lex Novella ſcribitur, inter pacta ſextum, quo aliquid imminutæ poteſtatis Scabinis redditum eſt.

1357. Carthuſiani donatum ipſis abhinc aliquot annos Cornelicaſtrum, & templum duodecim Apoſtolorum, incolere incipiunt.

1358. D. Catharinæ ædes nova curialis, privati hominis ſumptu, ſtruitur: Joannem Jupilienſem vocat *Tranſmoſanus*, nomen eo ævo nobile. Ad hæc item tempora referendum videtur, quod de hoſpitali domo D. Guilielmi ad portam Valburgiam per Guilielmum Cambianum conditâ, ſcribit *Hemricurtius*, anni nullius certi notâ conſignatâ. Advertunt aliqui, olim ad portas ſingulas Leodienſes xenodochia fuiſſe, excipiendis ſi quos fortè nox ingreſſu civitatis excluſiſſet. Certè ad Margaretanam etiam portam eſt D. Agathæ hoſpitalis domus, cujus conditæ tempus nobis nondum compertum eſt. De Julianenſi, ubi olim ſtetit porta Tranſmoſana, & Coquinis ad Avrotanam, antè notatum eſt.

1361. Mo-

1361. Moritur Hinsbergius, uſurpator Loſſenſis. Alembruquius ejus affinis, & hæres, Stoquemium occupat, & circumjectum agrum evaſtat. Engelbertus Haſſeleti poſſeſſionem Comitatûs Loſſenſis init, & Stoquemium, ejectis Alembruquianis, recipit. Scabinis Leodienſibus leges dicuntur.

1362. Lues fœda, Leodium & Haſbaniam populata, hyemis rigore comprimitur.

1363. Rummæus, Loſſenſis Comitis Arnoldi ex filia nepos, eo titulo, coëmptóque ſimul & cumulato qualicumque Alembruquii jure, aſpirat ad Comitatum Loſſenſem. Pragæ apud Cæſarem lis agitatur, Engelberto præſente, & pronuntiatur pro Eccleſia Leodienſi, ad quam, extinctâ omni Loſſenſium ſtirpe maſculina, Comitatus devolvi debuerat, ut clientelare beneficiū.

1364. Engelbertus fit Archiepiſcopus Colonienſis, & Epiſcopatum Leodienſem abdicat. Rummæus Hercam, oppidum in finibus Loſſenſibus, occupat, ſed brevi recipitur, ducibus Canonicis D. Lamberti. Joannes Arquelius, ex Epiſcopo Ultrajectino, fit Epiſcopus

 Leodien-

Leodienſis LXXVII. Rummæus Comitatum Loſſenſem infeſtat.

1365. Rummæ, inquieti dynaſtæ caſtrum, Præſulis juſſu obſidentur, & diruuntur. Uxor Rummæi, filia illegitima Flandri Comitis, mœrore cõtabeſcit.

1366. Rummæus, ab ſocero aliiſque deſtitutus, ad clementiam Præſulis, ac Lambertiani Collegii, cum Hamalio affine & auxiliatore ſuo, confugit.

1367. Addicitur Rummæo & Hamalio vitalis penſio florenorum ter mille, & ex fide ſolvitur. Ille viciſſim tabulas omnes Comitatûs Loſſenſis conſignat, ceditque omni jure: exinde pacata ejus poſſeſſio fuit. Mandevillius eques Anglus, peragrato pœnè Orbe univerſo, Leodii habitationem deligit, loci hominumque captus ingenio: ſexto abhinc anno mortuus, & ſepultus in Guilielmitarum templo.

1368. Juliacenſes Francimontanum agrum vaſtant: Leodienſes viciſſim Juliacenſem, obſiſtere nemine. Engelbtus abdicat Epiſcopatum Colonie[illegible]

1372. A Tudinienſibus Scab[illegible] uo ſui proſcribuntur: reſtitui jub[illegible] per Præſulem, delegatis eo fine T[illegible] um [illegible] [illegible]dicis

aulicis quatuor. Ab horum uno, obſiſtens, & in Præſulem impotenter declamans, alter Conſulum Tudinienſium Joannes Harcius occiditur. Cadavere Dionantum, Huum, Leodium delato ingens motus exoritur. Trajectum Præſul abſcedit. Satagentibus Canonicis, fit Pax Vigintiduûm-viralis, inter pacta ſeptimum. Hi ſunt veri ac ſtabiles natales tribunalis Vigintiduûm. Eadem pace ſtatutum, ut præfecturæ arcium in ditione Leodienſi non darentur, niſi iis qui poſſeſſiones, fundóſve, intra fines Leodienſes haberent.

1374. Moſâ exundante, lampas ante D. Andreæ aram, in Jacobenſi cryptâ, inter aquas inextincta manſiſſe perhibetur, *Radulfo* teſte. Energumeni multi externi, ſivè à malis geniis inſeſſi, per Sacerdotes quoſvis Leodii ſanantur, præſertim ad D. Virginis imaginem in clauſtris Lambertianis. Vigintiduûmviris, in cauſſa homicidæ abſoluti, auſis ſententiam ferre adversùs Præſulem, orti motus novi.

1375. Præſul Avenione apud Pontificem cōqueritur, de auſu Vigintiduûm.

Sacris patria omnis interdicitur. Ordines omnes exacerbati Interregem dicunt Valterum Rupefortium,& ſubmittunt accuſatores Præſulis ad Pontificem. Moritur Coloniæ Engelbertus Marcanus, nuper Epiſcopus Leodienſis.

1376. Nuntius Pontificius fruſtra pro pace laborat. Præſulis affines patriam vaſtant: Leodii, inaudito adhuc exemplo, cives adverſùs Præſulem ab Eccleſiaſticis pecuniam extorquent. Huenſes Mohanum caſtrum diruunt. Per Brabantum pax ſancitur, reſtrictâ Vigintiduum-virûm poteſtate. Præſul Trajecto Leodium redit, & peramanter excipitur.

1377. Præſul extremam vitam quietè, & ſilentio, agit.

1378. Vitâ excedit Arquelius Leodii: tumulatur Ultrajecti, inteſtinis apud Guilielmitas depoſitis. Schiſma fit in Eccleſia. Urbano legitimo Pontifici Leodienſes initio adhærent. Perſandus Rupefortius, Valteri Interregis frater, electus in Leodienſem Epiſcopum, à Clemente Pſeudopapa confirmationem petit per ſuos: hinc à Leodienſibus rejicitur, præferturque ARNOLDUS HOR-

Hornæus, ab Urbano deſignatus Leodienſis Epiſcopus LXXVIII. ex Epiſcopo Ultrajectino.

1379. Perſandus cum Brabanto Leodienſem agrum vexat. Viciſſim Brabantia, & Limburgius ager, oppidáque, vaſtantur per Leodienſes, Horione & Laminio ductoribus. Flandri interventu fiunt induciæ. Hornæus Leodium venit, & principatum auſpicatur à pace cum Brabanto.

1380. Rodemaquius toparcha Bullionenſem agrum invadit: fugatur ad Barrenſem agrum uſque à Leodienſibus, qui Lupiliturum illic excîdunt. Pons ligneus ad Viſetum ſtruitur, adversùs Argentææ præſidiarios. Aquas it Hornæus, ad Venceſlaum Cæſarem. Villarienſis Abbas prodigus, teſtes tamen innocentiæ ſuæ Superos auſus invocare, miſerè, repentinâ & horrendâ morte, tollitur, viſitante Monaſterium & ſpectante Hornæo. Ita *Radulfus*, qui eum Abbatem vocat Martinum. Sed Villarienſes Martinum de Hoio, Abbatem, faciunt rigidum exactorem diſciplinæ, & obiiſſe anno hujus ſæculi octogeſimo ſecundo.

1381. Gan-

1381. Gandenſes, à Comite ſuo obſeſſi, annonâ per Leodienſes juvantur. Pons ligneus ad Jemeppiam ac Seranium conſtructus.

1382. Hornæus fruſtra Tornaci tractat de pace, Gandenſes inter & Comitem. Terræmotus Leodii, & in Hasbania. Clementinæ factionis conſpiratio, à Canonicis ac plebeiis quibuſdam Leodii excitata, opprimitur.

1383. Hui ac Dionanti tumultus ingens contra Curiam Officialis ſopitur, diligentiâ Præſulis, Huum ſtatim profecti: *tanti eſt vel ſola Principis præſentia.* Motus item Trudonenſium contra toparcham Herenſem ob venationes componitur. Præſul, rogatu Flandri, Regem Anglum Ipras obſidentem adit de pace, ſed fruſtra.

1384. Poteſtas Conſulum eligendorum, creandique Conſilii civici, patriciis duodecim familiis Leodienſibus tollitur, transferturque ad plebem, ac civicas tribus malefico beneficio. Inde enim corruptelæ, compotationes, cœtus, & noviſſime, poſt decimum abhinc annum, ſeditiones ac rebellio erupêre.

1385. Prædones Dalemienſes civem unum

unum Leodienſem, hoſpitalis domûs Vandriæ œconomum, capiunt: mox Dalemienſis omnis ager per Leodienſes vaſtatus, reductique Leodium magno numero captivi.

1386. Leodienſes Scabini, omnes fermè ex Equeſtri Ordine, accuſantur corruptorum judiciorum, actore præcipuo cive Leodienſi ex Lavatoria familia: cauſſaque accuratè cognitâ, exauctorantur, & mulctantur per Præſulem, unico excepto, quem etiam favore magis, quàm innocentiâ, evaſiſſe, ſcribit *Tranſmoſanus*, cognitorum unus. Vigintiduûm-viri, qui, ob ſententiam latam adversùs civitatem, octo menſes ceſſare coacti fuerant, judicia reſumunt. Scribitur lex altera Novella, de judiciorum reformatione, & ratione mercatûs.

1387. Francimontana arx fortuitò conflagrat, & inſtauratur. Proſcribuntur Scabinorum exauctoratorum undecim: non proſcriptis duobus, qui mulctam ſolverant. Sententiam laudant Commiſſarii Cæſarei.

1388. Expeditiones fauſtæ fiunt à Leodienſibus, ob injurias acceptas, in agrum Gueldrenſem, Raveſtenium, Virdunen-

Virdunenſem. Pax Gallum inter & Gueldrum fit, Hornæo annitente.

1389. Scabini exauctorati, ac proſcripti, fruſtra iterum tentant reſtitui, per Venceſlai, inconſtantis Cæſaris, literas. Moritur Hornæus. Theodoricus Marcanus ſucceſſor eligitur, ſed electioni renuntiat, quamvis confirmatæ.

1390. Trudonenſes cives, Abbati rebelles, excommunicantur, eorumque conſortium à Leodienſibus ſummâ religione vitatur. JOANNES BAVARUS, ex Hannonii Hollandique Comitis filio, creatur per Pontificem Bonifacium IX. Leodienſis Epiſcopus LXXIX. Leodium magnâ pompâ ingreditur. In conſeſſu Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ excipit à patre ſuo profeſſionem clientelæ, ob Comitatum Hannoniæ. Fit Subdiaconus.

1391. Theodorici-caſtrum à Dionantiis ſubrutum, quòd inde latrocinia exercerentur. Legatus Pontificius Indulgentiam Plenariam, per quinque menſes, Leodii impertit, omnibus ad Sanctæ Crucis venientibus, magna populi pietate, & fructu.

1392. Jacta fundamenta magnæ turris Lambertianæ.

82

1393. Comes Murſius agros incurſat Trajectum inter ac Viſetum, & Trajectenſes, arcendæ populationi incompoſitè erumpentes, cædit.

1395. Terræmotus Leodii, quem civiles motus ſequuntur, ob interdictam Seranienſibus lignationem in ſilvâ Præſulis. Princeps ſuam Officialis curiam transfert Dioſtam, ſeu Dieſtemium, quia oppida omnia patriæ cum Leodienſibus conſpirârant: Maſecâ unâ exceptâ, quam Henricus Hornæus Perviciaci toparcha tenebat pro Principe.

1396. Interventôre Balduino Monjardino, nobili Leodienſi, pax componitur, & Princeps redit Leodium. Viſetum, per prædones Gueldros improvisò captum, diripitur.

1397. Militiam omnem urbanã Princeps in Gueldrenſem agrum ducit, eumque latè devaſtat.

1398. Fœdus adversùs Gueldrũ ineunt Princeps, & Brabantus. Ruræmunda obſidetur: pax ſupplici Gueldro cõceditur.

1399. Galli Regis impulſu, & Franciæ omnis exemplo, Princeps ac ditio tota ſeſe ſubtrahunt obedientiæ utriuſque Pontificis, veri, ac falſi.

SÆCU-

SÆCULUM DECIMUM-QUINTUM.

1401. RUpertus novus Imperator, rejecto ignavo Venceſlao, coronatur Coloniæ.

1402. Huenſes, ob judicii Principalis, quod ad Annulum Palatii dicebatur, formam tumultuati, ſe apud Principem expurgant. Trudonenſes culparum quarumdam veniam pecuniâ redimunt. Inde Leodii à ſeditioſis, qui Trudonenſes plexos voluiſſent, turbari cœptum: & Princeps civitate excedit. Hui Ordinum omnium conventus cogitur, Leodienſibus ſolis non vocatis.

1403. Exlegum ſeu Hædrotorum, à recti & juris odio ſic dictorum, factio naſcitur, & Interrex poſtulatur. Canonici Lambertiani pacem procurant, & Principem Trajecto reducunt Leodium. Promulgatur Pactum Sedecimvirûm, inter pacta octavum, quo inter alia vetatur civitas bellum indicere, injuſſu Præſulis, & Ordinum. Factioſi aliquot proſcribuntur, unus plectitur.

1404. Trudonopoli ſeditioſorum manus,

manus, ob cereviſiarium vectigal Principem ipſum invadere parans, cæditur.

1405. Recipitur ab Innocentio VII. Pontifice in gratiam Princeps, & ditio univerſa. Turbæ Leodii à fautoribus proſcriptorum renovatæ, multâque palàm, apud Conſules ac plebeias tribus, contra Principem jactata.

1406. Princeps abit Trajectum, cum curia. Conſenſu oppidorum patriæ, Trajecto excepto & Trudonopoli, eligitur in Interregem Henricus Hornæus Perviciacenſis: ejusque filius Theodoricus, Archidiaconus, fit Pſeudoepiſcopus.

1407. Bullionem capit Perviciacenſis: filius confirmatur à Pſeudopapa Benedicto, & à Venceſlao Cæſare exauctorato: proſcribuntur, qui factioſis aſſentiri nolebant: ab iiſdem plexi Horiones duo ſpectatæ nobilitatis & fidei, parens ac filius, Guilielmus uterque: additi alii, quorum nomina referunt *Stabulaüs*, & *Zantfliitius*: caſtra varia exuſta, in his Væſium: Trajectum obſeſſum.

1408. Aſperrimâ hyeme, coguntur Perviciacenſes Trajecti obſidionem ſolvere.

vere. Pontes lignei Moſani, glacie, & inundatione, diruuntur. In agro Leodienſi fit pugna falconum & corvorum, illis victoribus, prænuntia, ut putatur, decretorii inter partes certaminis. Ita *externi Scriptores* narrant: noſtri ſiluêre. A Perviciacenſibus variæ expeditiones infauſtæ fiunt: Trajectumque rursùs, & in illo Princeps obſidetur, ſed fruſtra. Hannonius Comes, Bavari frater, Foſſas, Covinum, Martianas, aliaque in Interamne loca, incendit. Conveniunt in Hasbania fœderati Principes: Perviciacenſes, pater ac filius, illis obviàm progreſſi, occiduntur ad Othæam vicum, cum magna Leodienſium & Huenſium ſtrage. Liberi cives pacem impetrant, & ſupplicabundi ad Principem prodeunt: capite plectuntur Seranius, & Rupefortius, aliique: Pſeudoepiſcopi Vicarius ad Ordines, ſeu Suffraganeus, cum variis, de ponte arcuato præcipitatur: abrogantur & abnuntiantur prærogativæ, ſeu privilegia: tabulæ omnes publicæ, ſive archia civitatis, & oppidorum, efferuntur Montes Hannoniæ: exuruntur tribuum vexilla, & prohibentur earum conventus,

tus, in quibus vocaliſſimi ferè quique ac peſſimi, per eam temporum corruptionem dominatum exercebant, præerantque, *rationis ac prudentiæ loco, clamor & impetus.*

1409. Quingenti obſides dantur fœderatis Principibus, donec mulcta ingens perſoluta ſit. Pons arcuatus Leodii inundatione ſubruitur. Herca, ab Exlegibus & proſcriptis capta, recipitur poſtridie per Haſſeletenſes, ductore Eldienſi. Exleges variis locis plectuntur.

1410. Peſtis graſſatur: mures agreſtes ſata vaſtant: utrique malo hyems, intenſo frigore, medetur.

1412. Mulctâ Principi exſolutâ, obſides liberi in patriam redeunt.

1414. Intereſt Princeps Aquis coronationi Sigiſmundi Cæſaris.

1415. Sigiſmundus Cæſar prærogativas Leodienſibus, quà poteſt, reſtituit. Conſpiratio nova Leodii contra Principem detecta: plexi conjurati.

1416. Supplicatur Leodii pro felici ſucceſſu Concilii Conſtantienſis. Sigiſmundus Leodium venit, & celebrat Natalem Chriſti, ac perhumanè excipitur.

1417. Si-

1417. Sigiſmundus diſcedit, impetratque à Pontifice Martino V. decimam Beneficiorum Leodienſium: ſed appellatio interponitur. Eliguntur, ex formula per Principem ſtatuta, Conſiliatores duo vice Conſulum; Valterus Fleron, & Valterius Antinius, ex nobilium ordine. Paullò póſt nova formula eligendi magiſtratus civici cuditur, ſeu Regimen Bavaricum anno ſuperiore deſignatum, jam interpolatum. Mortuo fratre, Princeps abit in Hollandiam, factionibus Hamatorum & Aſellaticorum ſciſſam.

1418. Bavarus in manus Pontificis Epiſcopatum reponit, & uxorem ducit, viduam Brabanti, filiam Venceſlai Cæſaris. A Pontifice JOANNES VALENRODIUS, ex Archiepiſcopo Rigenſi, fit Leodienſis Epiſcopus LXXX.

1419. Joannes moritur, ſanctè adminiſtrato fermè decem menſes Epiſcopatu, conceſſoque Leodienſibus uſu priſtinarum prærogativarum, & inſtitutis tribubus triginta duabus, cùm nuper ſolùm ſeptemdecim, vel viginti quatuor, paullò antè duodecim ab Hugone Cabilonenſi, ut putatur, conſtitutæ,

olim

olim nullæ eſſent. Sufficitur JOANNES HINSBERGIUS, ex Archidiacono Hasbaniæ Leodienſis Epiſcopus LXXXI. Fit Sacerdos.

1420. Hinsbergius Leodii Epiſcopus conſecratur. Sub idem tempus reſtitutum ferunt tribunal Vigintiduûm, quod à prælio Othæano ſiluerat.

1421. Bruxellis ingentes ſeditiones componuntur, Præſulis noſtri interventu, qui poſtea, cum Legato Pontificio, ad bellum ſacrum contra Huſſitas proficiſcitur, magno ſuorum comitatu, brevì rediturus, operæpretio nullo. Spectatur Crux aërea ſupra Sanctæ Crucis templum: paullò póſt ardet Curia Officialis.

1422. Dionanti erumpit ſeditio ingens, ob debita urbis publica, contra creditores. Leodium abducti præcipui ſeditionis auctores plectuntur, & motus conquieſcit. Eccleſiæ Secundariæ Leodii ceſſant à divinis, ob violatam Exemptionem ſuam, capto Huenſi Canonico Præſulis juſſu. Controverſia, liberato Canonico, brevì componitur. Narrat *Stabulaus*, aliique ejus ætatis.

1423. Synodus celebratur Coloniæ. Eccle-

Eccleſiaſtici Leodienſes adverſantia libertati ſuæ decreta non recipiunt, ſeque ipſi reformant.

1424. Joannes Bavarus, nuper Leodienſis Princeps, Hagæ moritur. Editur Statutorum Reformatio, & nova Conſularis electionis formula, Regiménve Hinsbergicum, in quo conſtituitur, de Commiſſariis civitatis viginti duobus, eorumque poteſtate.

1426. Erigitur Academia Lovanienſis, quæ annos deinde ſupra centum & triginta manſit in Leodienſi Diœceſi.

1429. Conditur Jacobenſe in Aureato xenodochium. Valterus Antinius, qui nuper Conſiliatoris Supremi nomine præfuerat, nunc Prætor ſimul erat, & Scabinus, auctoritate ac potentiâ in dies creſcit, fitque etiam Collegio Cathedrali Lambertiano formidandus: bis auſus prohibere, ne quid operæ ab artificum ullo, in gratiam cujuſvis Lambertiani Canonici præſtaretur. Orta diſſenſione Scabinos inter, ac Conſilium civicum, illi privantur jure civitatis, & exeunt. Impulſa hoc impetu poteſtas Antinii, paullatim concidit, ejusque æmuli convaluêre. D. Gertrudis ædes

ſtruitur

ſtruitur in ſuburbano Laurentiano: quidam tamen longè antè conditam volunt.

1430. Tentant Bovinienſes turrim Dionantenſium Monti-ſuperbiam. Moritur ultimus Namurcenſium Comes Joannes, cujus ditionem cùm parvo emere Leodienſes, maximo ditionis totius commodo, potuiſſent, elabi ſibi paſſi ſunt, inſigni negligentiâ. Emit Philippus Burgundiæ Dux, factus etiam Dux Brabantiæ. Orto illum inter, & Leodienſes diſſidio, Bellofortium, Pilovacca, Goleſinium, aliáque loca à Leodienſibus diruuntur. Utrimque incendiis fœdè certatur.

1431. Fit pax Præſuli ac Leodienſibus inhoneſta, adactis ad compenſationem damnorum. Floret Julianus Cæſarinus Cardinalis, & Archidiaconus Leodienſis. Sub hoc tempus, quini è Collegio Cathedrali Canonici dicuntur Cardinales fuiſſe.

1432. Erumpit factio Antinienſium, pro Valtero Antinio in priſtinos gradus reſtituendo: concitaturque ab illis ſeditio adverſus Præſulem, ac Conſules, ob dedecoroſam pacem cum Burgundo

initam. Motus tantiſper componitur, conceſsâ novâ Conſularis electionis mutatione, in plebis gratiam, ut viritim, quemadmodum paullò antè ſolebat, ſuffragia ferrentur.

1433. Antinienſes conjurati, in diem Epiphaniæ multa molientes, antevertuntur, & opprimuntur: ſuppliciis, exiliis, acerbiſſimis proſcriptionibus, bonorumque publicationibus, in illos animadvertitur. Nothus Morialmæus, patris ſui, qui extremo ſupplicio Leodii affectus fuerat, necem ulturus, graſſatur in agro Leodienſi. Ita narrant *ejus ætatis Scriptores*, ex quibus pleraque horum hauſimus, non ex *Suffrido*, parum accurato ſcriptore.

1434. Interamnenſis regio laceratur à Morialmæanis.

1435. Hinsbergius intereſt Atrebati reconciliandæ inter Francum, Anglum, & Burgundum paci. Nothus Morialmæus occiditur: ejus ſocii per fines Leodienſes in Arduennâ latrocinantur. Conventus Franciſcanorum Tertiariorum Zepperenſis approbatur per Præſulem: poſt annum duodecimum cæteris præficitur.

1436. Præ-

1436. Præſul Boſnovium caſtrum, à prædonibus inſeſſum, capit, ac diruit: prædones omnes ſuſpenſi. Sacerdos ex ordine religioſo, qui illis adfuerat, cæteriſque detrectantibus ferale carnificis munus, ſpe veniæ, impleverat, in ipſo loco, congeſtis raptim ſtramentis & lignis, exuſtus eſt: etſi non immeritus, præcipiti tamen ſententiâ atque illaudabili exemplo. Subruta item alia caſtra, & in his Orcimons, quòd eſſent receptacula prædonum.

1437. Bona perduellium, conjuratorúmve Antinienſium, Sigiſmundi Cæſaris auctoritate, addicuntur civitati: Præſul eorum partem ſibi oblatam recuſat, ne omnia, quæ iſtis tumultibus acta fuerant, probare videretur.

1438. Præſul fit adminiſtrator Trevirenſis. Virgines quæ Tongri in monte D. Agnetis in commune convenerant, fiunt Tertiariæ Franciſcanæ, cujuſmodi etiā Leodii ſunt, & aliis Diœceſeos locis.

1440. Servatianum Collegium, ob controverſias cum civibus Trajectenſibus, migrat Trajecto Leodium.

1442. Compoſitis controverſiis, Trajectum remigrant Servatiani Canonici.

Hinsbergius, cum ſplendido comitatu, adeſt Aquis coronationi Frederici IV. Cæſaris: vetat recipi Leodii Legatum Pſeudo-ſynodi Baſileenſis: exigit adminiſtrationis ſuæ mercedem à Treviris.

1443. Indulgentia Plenaria ab Eugenio IV. Pontifice conceditur ponentibus, aut dantibus operas,ad certos dies, pro æde D. Lamberti. Haſſeletenſes, ob injurias Dipenbequanis illatas, per Præſulem jubentur adeſſe ad Palatii annulum: parere initio recuſant, dein panem pecuniâ redimunt. Luxemburgium Ducatum ditionibus ſuis adjicit Philippus Burgundio.

1444. Hinsbergius it Venetias ad peregrinationem Hieroſolymitanam. Eam perficere prohibetur: tum morbo, qui eum Venetiis occupavit: tum à Turcis, ob titulum Bullionenſis Ducis, formidatum in Aſia nomen. Hoſpitalis domus D. Michaëlis, ſive pauperum civium in Inſula, variis temporibus dotata & aucta, ſapientibus legibus ad rectam adminiſtrationem adſtringitur, ſatagente Alexandro Seranio Conſule, quem eo ævo multa ad patriæ bonum bello & pace præſtitiſſe, *Stabulaüs* aliique commemorant.

1445. Ob Leodienſem civem, apparitorem, Ruræmundæ demerſum, civis Ruræmundanus Leodii capite plectitur, &, cadavere exuſto, cineres in profluentem projiciuntur. Everardus Marcanus, à Gallis ad arma, contra Philippum Burgundionem, ſumenda ſolicitatus, Ruperfortem & Agimontem præſidiis munit, indeque in Belgicas provincias excurrit. Præſul ad ſubditum coërcendum, pacemque cum Bungundo colendam, armatâ provinciali militiâ, Rupefortem & Agimontem obſidet, ac recipit. Exutus caſtris ſuis Everardus, Leodii mœrore contabeſcit. Burgundus, ob eam expeditionem, Præſuli, ac Leodienſibus, remittit debita ex bello Namurcenſi. Statuta Synodalia eduntur.

1446. Pons arcuum Leodii tamdem omninò inſtauratus eſt, poſt triceſimum ſeptimum annum, quàm dirutus fuerat. Conſtitiſſe dicitur florenorum Rhenenſium millibus quinque ſupra triginta, & quingentis.

1447. Ex Hungaria Aquas peregrini veniunt, origine & linguâ ab antiquo Leodienſes. Præſul ab itinere Anglico

deterretur in Flandriâ, denuntiatione inſidiarum.

1448. Præſul Curingiam venit: ubi cum Canonici D. Lamberti & Conſules convenêre, ac rogavêre, ut deinceps ſibi ab excurſibus temperâret. Ex illo, in æde D. Lamberti quotidianæ orationes pro ſalute Principis indictæ, Sacerdoti ſacris ſolenniter operanti.

1449. Gemina conſpiratio, Trajectenſium præſertim quorumdam, adversùs Præſulem detegitur: varii conjurati plectuntur, in his quidam ordinis religioſi deſertor.

1451. Iterum miraculis clareſcit imago D. Virginis, in clauſtris Lambertianis. Pontifex Max. Nicolaus V. confirmat Statuta Synodalia.

1452. Cardinalis Cuſanus, Legatus Pontificius, Leodium venit: irritatur à quibuſdam, cenſuram & diſciplinæ reſtitutionem metuentibus: paullò póſt, omnibus ſeſe ipſi ſubmittentibus, reconciliatur. Ingens ex ejus legatione fructus exiſtit, præſertim in Eccleſiaſtico ordine, ſed non duraturus. Fuit hic annus Chriſtianis fœdiſſimus, capta per Turcas Cõſtantinopoli. Ita *varii recentiores*

tiores ſcripsêre. *Spondanus* tamen, ex ejus ævi ſcriptoribus, conſignat anno ſequenti.

1453. Ob Prætorem Præſulis, in cuſtodiendis captivis negligentem, Trajecto pulſum, Trajectenſibus Conſulibus dies dicitur ad tribunal Pacis. Ei tribunali ſeſe opponit Conſilium Brabantiæ. D. Virginis imago, in clauſtris Lambertianis, frequentatur piæ plebis cõcurſu. Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ D. Lãberti ambitur pro Ludovico Borbonio, Philippi Burgundionis conſanguineo.

1454. Sanctio editur contra adulteria, ſcortationes, lupas, fœnora, aleam, cæteraque ejuſmodi. Ingens foſſarum opus, adversùs vicinorum excurſiones, per Hasbaniam tranſverſim duci cœptum, à Brævia vico: conſtitutumque à Præſule, conſenſu Ordinum, de alendo milite ſumptibus publicis ad tuendos fines.

1455. Deficiente pecunia, intermittitur opus: item Francicum iter, quod Præſul cogitabat. Trajectenſis controverſia componitur, abſolutis Conſulibus. Creſcunt Leodii murmura plebis, ob pecuniarias exactiones, & adversùs

domeſticos Præſulis: qui paullò poſt, incertum an tædio rerum, an promiſſis inductus, Epiſcopatum pro Borbonio deponit in manus Pontificis.

1456. Vulgatâ Hinsbergii abdicatione, varii exiſtunt in civitate animorum motus. Excipitur Leodii LUDOVICUS BORBONIUS, ex Præpoſito Brugenſi Leodienſis Epiſcopus LXXXII. auctoritate Pontificia. Magiſtratus populares paullatim Principis jura accîdunt: & domeſtici ipſius, ac Conſiliatôres, quos ſecum adduxerat, aviditate pecuniæ ſeſe odioſos, ac deſpicabiles, reddunt.

1457. Hinsbergius feſto Epiphaniæ ab amicis Leodium invitatur: mox diſcedit, numquam rediturus. Cum Trajectenſibus, & Fontenſis oppidi toparchâ, controverſiæ ortæ, quòd Vigintiduûm-viralibus mandâtis parere recuſarent. Queritur Princeps de violato per Leodienſes jure ſuo, proponitque ea de re capita octodecim. Seditioſi apertè ipſi obloqui incipiunt. Ruſticani duo, qui de illo ſermones ſeditioſos habuerant, extremo ſupplicio afficiuntur: inde aucta invidia.

1458. Huum Princeps diſcedit, & Mo-

Morialmæum toparcham, qui de Hinſbergii intimis fuerat, capiendum curat cum tota familia: unde Leodii-tumultus novi, & conſilia pro cive liberando. Borbonius, & Hinsbergius, ea de re Gandavi agunt cum Burgundo, cujus arbitrio liberatur Morialmæus. Borbonius Prætoris Leodienſis officium ſuſpendit, & cum eo capitalia judicia.

1459. Burgundi hortatu, fiunt varii tractatus, de concordia Principem inter ac civitatem. Hinsbergius, nuper Leodienſis Præſul, ſuis quàm ſibi melior, & in luxum affiniaque vitia pronus, Dieſtemii infeliciter moritur, ex viſcerũ dolore: & poſt mortem miſeranda ſpecie, in cavea ignea, videndus offertur Dionyſio Carthuſiano oranti. Conſtat enim ex temporum ratione, de alio Epiſcopo Leodienſi intelligi non poſſe, quæ narrat *Scriptor vitæ Dionyſii*: uti non obſcurè indicavit *Chappavillaus* ad caput 33. tomi tertii. Accedunt, quæ de ipſo fusè, & particulatim narrat *Continuator Stabulai.* Annotata hæc ſint, non temerè iſtis auctoribus, neque inutiliter ad poſteritatis informationem, cujus intereſt ex hiſtoriis diſcere non

tantùm exempla virtutum, ſed etiam ſupplicia vitiorum. Cur autem iſti Præſuli, non alteri ipſum ſubſecuto, Deus veniæ locum & ſpatium recuſaſſe videatur, inquirant, qui *reprehendere volunt, quod comprehendere non valent.*

1460. Prætoris officium, & judicia de rebus capitalibus, Leodii reſtituuntur. Pax Minorum, ſeu apud Minores Franciſcanos Leodii tractata, deſignatur. Mittit civitas ad Galliæ Regem. Princeps redit. Deſtituti ab eo, in gratiam plebis, Conſiliatores ſui, quos nuper adſciverat, Bellofredus, Valdeledus, & Faber, mœrore contabeſcunt.

1461. Fuſtuariorum, ſic ab inſigni hominis agreſtis fuſtem geſtantis dictorum, factio per Comitatum Loſſenſem graſſatur, fiſcalibus præſertim infeſta. Princeps, auctoritatis ſuæ oblitus, intereſt Conſilio civico, in quo fiſcales varii mulctati, & proſcripti, dieſque ipſis Officiorum Principalium primoribus dicta. Abit deinde in Galliam, ad coronationem Ludovici Regis. Rex ſeſe civitati infeſtum ſimulat: miſſi, qui eum placarent, protectioni ipſius civitatem ſubmittunt, repugnante licèt Principe,

Principe, & Canonicis Cathedralibus. Civitati & Comitatui Loſſenſi, ob varios auſus & injurias, Princeps ſacris interdicit: de interdicto fiunt appellationes, & motus.

1462. Proſcribuntur Leodio quidam Conſiliatores, & fautores Principis. De pace colloquia habentur Trajecti. Princeps Leodium invitatur. Tornacenſis Epiſcopus pro ipſo pecuniam Leodii petit, & nil obtinet. Burgundi ſuaſu, Princeps it Huum: inde Leodium deducitur à Canonicis D. Lamberti: mox diſcedit, acceptâ & promulgatâ confirmatione interdicti per Pontificem. Obtemperant omnes Eccleſiaſtici ſententiæ Pontificiæ, præter Franciſcanos & Dominicanos, fide jubente pro ipſis civitate. Collegia Canonicorum, & tribunalia, Trajectum à Principe fruſtra evocantur.

1463. Nuntii, à Leodienſibus ad Pontificem miſſi, Româ redeunt. Venit Aquas Legatus Pontificius, & reſtitui juſsâ Præſulis juriſdictione, interdictum ſolvit. Princeps Leodium revertitur. Conſules novi, cum offenſa Principis, deducuntur præcinentibus tubis, quod

G 6 ante-

antehac inſolitum. Eorum unus erat Herenſis toparcha, rerum iſtius ætatis pars magna: Lintrenſis vocatur à *Philippo Cominæo*, quòd Lintrarum etiam toparcha eſſet. Proſcripti rursùs varii fautores Principis: jactariq́ue cœptum, qui intra ſeptennium à Pontifice Max. præſcriptum Sacerdos fieri noluiſſet, pro Principe, & Epiſcopo ampliùs haberi non debere. Nube Anſium inter & Lantinum effusâ, torrentes, per prona civitatis decurrentes, luto pleraſque domos complent, ad humanæ ſtaturæ modum. Franciſcani, & Dominicani pro violato interdicto pœnas ſubeunt, juſſu Pontificis, ex Decani Cathedralis arbitrio. Narrat *Stabulai Continuator.*

1464. Probi cives tentant pacis tractatum cum Principe. Reida caſtrum obſidetur, & diruitur à Leodienſibus, ob præſidiariorum excurſiones. Dionantenſes domum Vallenſis toparchæ evertunt, lite licèt apud Vigintiduûmviros conteſtata. A Pontificio Legato iterum fertur ſententia interdicti adverſùs Leodienſes, ac fœderatos: appellatur, & Romam itur communi Cleri, ac populi, nomine.

1465. Sublato iterum per Principem Prætoris officio, civitas novam inſtituit judicii capitalis formam, adlectis vice Scabinorum Judicibus duodecim, agente Prætorem, Defenſoris ſeu Advocati nomine, Exconſulum uno Joanne Boverio. Ex ea judicii forma, plexi hiſce turbidis temporibus varii: in iis fuit, ſtatim à prima cum Burgundo pace inita, Ægidius Metius Exconſul, à quo, viro cæteroqui, ut ex necis cauſſa apparet, pacem amante, tribunal iſtud vel excogitatum, vel commendatum fuiſſe, ait *Stabulai Continuator.* Rebellione jam aperta, Marcus Badenſis accitur, & pro Interrege Leodii, Dionanti, aliisque omnibus locis admittitur, Huo excepto, ubi erat Borbonius. Cathedrales Canonici Badenſem admittere renuunt. Legatus Galli Regis fœdus contra Burgundum cum Leodienſibus icit. Dionantenſes bellum à Bovinio laceſſendo incipiunt. Factioſis etiam Hui invaleſcentibus, inde Borbonius ſe proripit. Leodienſes tumultuariè in agrum Limburgium excurrunt, & Falcomontium obſident, cum auxiliari Germanorum manu, ab Interregis fratre adducta

adducta. Sed hic in Germaniam brevî abſceſſit, pertæſus inconditæ multitudinis inobedientiam. Solvitur obſidio Falcomontii, & alia parte à Burgundis vaſtatur ager Leodienſis.* Limburgum fruſtra Leodienſes obſident. Carolo Burgundo ex Gallia reverſo, Huenſes & Dionantenſes pacem redimunt.

1466. Trudonopolin intrat Carolus Burgundus, & Borbonius. Tractatur de pace cum Leodienſibus, & de ea convenitur, nequidquam frendentibus ſeditioſis. Paullò póſt, dimiſſis à Carolo copiis, novæ factiones & cædes ortæ: miſſi nihilominùs Bruxellas, qui ex conditionibus pacis veniam peterent à Philippo Duce. Ordines patriæ Huum evocantur à Borbonio: ibique excommunicatio Leodienſium promulgatur, poſt cauſſam Præſuli per Pontificem Max. adjudicatam. Colubrinorum ſeu Viriditentorienſium factio graſſatur per patriam: ſeditio impuberum puerorum, in ipſas Canonicorum ædes involare audentium, Leodii gliſcit. Badenſis iterum, & fruſtra ſolicitatur, ut Leodium redeat. Borbonius fit Hui Sacerdos, & Epiſcopus. Dionantum obſidetur,

tur,

tur, deditur que Auguſti viceſimâ quinta, ſpoliatur, diruitur, & incenditur, à Burgundis patre & filio: demerſi magno numero cives, ob probra nuper, ut ferunt, jactata in Carolum. Tudinii mœnia diruuntur. Victore Carolo cum copiis in Hasbaniam ingreſſo, Leodienſes inſtructa acie procedunt obviàm non inani ſpe victoriæ: actum tamen & conventum de pace, datis obſidibus. Humbercurtius à Carolo Leodium mittitur, Vicarii Defenſoris, ſeu Subadvocati nomine, exploratorem acturus. Turbæ rursùs Leodii excitantur à ſeditioſis, & ſupplicia de variis indictâ cauſsâ ſumuntur, tamquam de hoſtibus publicis.

1467. Creſcunt Leodii factiones: Carpentarius, nuper Prætor Dionantenſis, ſupplicio afficitur, aliique rebellibus odioſi. Proſcribuntur varii, in his primores duodecim, quorum pars Conſules fuerant, nec quidquam, niſi benè ſentiendo, & benè volendo, peccârant. Limburgius ager incurſatur. Huum ſubito impetu per Leodienſium & fœderatorum copias, Guilielmo Marcano præcipuo ductore, nocte quæ diem

diem D. Lamberto feſtum præceſſit, occupatur, & diripitur, profugo inde Borbonio. Carolus Burgundus maximo exercitu Trudonopolin obſidet, cui impoſitum erat præſidium Leodienſe, Renardo Roveræo, Exconſule Leodienſi, Præfecto: Leodienſes, opem obſeſſis ferentes, magna clade ad Bruſtemium ſternit, cruentâ victoriâ: Trudonopolin, aliáque oppida capit: Leodium, duris conditionibus deditum, ingreditur, & ad Palatium divertit, Borbonio in Merodenſem domum ſecedente.

1468. Civitas mœnibus nudatur, armiſque ſpoliatur, ex conditionibus pacis. Idem oppidis omnibus factum, Huo excepto. Supplicia Leodii de ſeditioſis quibuſdam ſumuntur: profugi proſcribũtur magno numero. Carolus, acceptis obſidibus, diſcedit: columna forenſis, ſeu Peron, Brugas avehitur: tabularia ſeu archia civitatis efferuntur. Legatus Pontificius Leodium venit: eo præſente, admiſſis ſolùm primoribus, primum ſacrum Borbonius facit in æde D. Lamberti, kalendis Maiis. Cenſuræ omnes tolluntur. Exules per patriam concur-

concurſant, & Borbonio Trajectum cum inani pompa navigante, ipſa die D. Ludovici, ſeu Auguſti viceſimâ-quintâ, Leodium improvisò capiunt, & cædes patrãt. Legatus ad Borbonium proficiſcitur, pro eorum reconciliatione: eo fine Tongrim uterque Trajecto diſcedit. Audito interim exulum reditu, Humbercurtius à Carolo ad Borbonium cum delectis mittitur, pacemque diſſuadet. Exules Burgundicum præſidium Tongrî opprimunt, per tenebras ingreſſi, Villæo præcipuo ductore: captus Humbercurtius, aliique Burgundi, dimittuntur ſpe pacis: occiſi in nocturno tumultu aliquot Præſulis comites, quidam fugâ Trajectum elapſi: Legatus, & Præſul, Leodium reducuntur pacato agmine, Octobris nonâ. Convenitur de pace Præſulem inter & exules: reſtituiturque tumultuariè civitati forma priſtina: Prætorem agente Villæo, creatis Cõſulibus Amelio Velruſio, & Ægidio Lenſio. Ad inexpectatæ rei famã, Carolus Peronâ è finibus Galliæ, cum Ludovico Rege, & ingentibus copiis, advolat. Prima ejus acies Tongrim ſpoliat, viceſimâ Octobris, & temerè progreſ-

progreſſos Othæam uſque Leodienſes diſſipat. Miſſi ad Carolum Velruſius, aliique cives deprecatores, tenentur in vinculis, poſtea plexi: Præſul etiam egreſſus eo fine cum Legato, in civitatem redire non ſinitur. Obſeſſum fuit partibus duabus Leodium, ad Leonardinam portam, ac Valburgianam. Erupêre ad Leonardinam cives, Villæo duce, cum magnâ obſidentium clade. Iterum ad Valburgianam nocturna Francimontanorum eruptione Dux, & Rex, periclitati. Poſtridie mane, Octobris triceſimâ, Dominica die, qua Leodienſi ritu cantatum erat in Introitu ſacri, *Omnia quæ feciſti nobis Domine in vero judicio feciſti*, Leodium mœnibus nudum, & à pleriſque civibus deſperata propugnatione deſertum, capitur: quidquid vi captis urbibus accidere ſolet, patratur: occiſi, qui manſerant, aut in profluentem de latebris protracti: profugorum pars magna per Arduennæ ſaltus errabunda, inediâ & frigore conſumpta eſt. Carolus deinde, Francimontanam regionem univerſam depopulatus, abſcedit, relictis qui civitatem diruerent, & incenderent, præſide Humbercurtio & Vitte-

& Vittemio. Rupto ponte arcuato, ſparſi tribus urbis regionibus ignes: templis & Canonicorum ædibus ſervatis, arsêre civium domus omnes, quamquam aliqui ſenas omnino ſuperfuiſſe memorant. Exactis per incendia, cædes, ac ruinas, ſeptimanis ſeptem, ædes D. Lamberti mundata eſt, & officia divina reſumi cœpêre pridie Natalem Chriſti.

1469. Humbercurtius, Bruxellas diſcedens, Hamalſum & Geldonium toparchas jubet bona rebellium deſcribere, & fiſco addicere. Addicitur etiam Burgundo pars dimidia frumentorum, apud Eccleſiaſticos inventorum. Borbonius Bruxellis agit apud Carolum, pro recipiendis Leodium ſuperſtitibus civium, & ædificanda Leodienſi Inſula, ac domibus circum ædem D. Lamberti. Humbercurtio Bruxellis reverſo, novæ judiciorum formæ inſtitutæ, adſcitis etiam Leodienſibus quibuſdam, Morialmæo, Hollonio, Berarte utroque, Roveræo, & aliis. Repetitæ de factioſis quæſtiones, & ſupplicia ſumpta. Tributa nova impoſita, & exacta, a ruſticanis præſertim, tanta acerbitate, ut incultos agros deſerere vellent, niſi

Cano

Canonici apud Borbonium Hui inſtitiſſent, ut de modo ſtatuendo ſeſe apud Carolum interponeret. Iſthæc ad excidium urbis Leodienſis ſpectantia, & maximam partem ex *Manuſcriptis teſtium oculatorum* excerpta, particulatim digeſſimus, ut quorumdam judicio, & Lectorum deſiderio ſatisfaceremus: & quia nihil in omni Leodienſi Hiſtoria magis notandum eſt. Neque umquam apud nos magis apparuit, *Quàm exitioſa ſit ſummis avaritia, mediis invidia, imis licentia.*

1470. Borbonius Huo Leodium navigat Januarii tertiâ, & pedes luſtratum it miſerabiles civitatis ſuæ ruinas. Intereſt deinde cum Humbercurtio, & nobilitate numeroſa, conſecrationi Abbatis Trudonenſis. Mittuntur à Burgundo, qui Leodienſia mœnia reparari cœpta, & domos ſupra certum numerum exſtructas, disjici curent.

1471. Pontifex Sixtus IV. cenſuris animadvertit in eos, qui templa Leodienſia ſpoliârant. D. Lamberti templo dona Carolus mittit. Ruræmundæ moritur ſanctè Dionyſius Carthuſianus, in ditione Leodienſi natus. Guilielmus

lielmus Marcanus , ſive Arenbergius, Leodii turbare incipit.

1473. Colloquio Trevirenſi Cæſarem inter, & Carolum, adeſt Borbonius, Regaliaque accipit, & confirmationem prærogativarum Eccleſiæ Leodienſis. Hamalius , cum illo Trevirî rediens, mergitur. Floret virtute , & ſcriptis myſticis, Henricus Harphius Franciſcanus, gente Leodienſis.

1474. Juſſu Marcani, Vicarius Epiſcopi occiditur Trudonopoli. Carolo Noveſium obſidenti adeſt Borbonius.

1475. Guilielmus Marcanus copiis Cæſareis agrum Leodienſem infeſtat. Ejus caſtrum Acrimontanum capitur, fiſco addicitur, & deſtruitur.

1476. Simultates oriuntur Borbonium inter, & Humbercurtium, impotenter in Leodienſes dominantem.

1477. Poſt Caroli Burgundi cladem, ac funeſtam in Lotharingia cædem, & Humbercurtii publicum in urbe Gandenſi ſupplicium, Leodii omnia in ſtatum priſtinum reſtituuntur : admiſsâ priùs, Ordinum ac civitatis nomine, ſententiâ Paulli II. de Principatu,ac dominatu Epiſcopi. Guilielmus Marcanus

Præſuli

Præſuli reconciliatur. Herenſis, è Gallia cum militari manu reverſus, in patriam ac bona recipitur. Mâria Burgunda columnam forenſem, ſeu Peronem, Leodienſibus reſtituit. Revexere Capperuntii. Detecta Chabotæana in Præſulem conſpiratione, puniti extremo ſupplicio quidam.

1478. Guilielmus Marcanus fit Præſuli intolerabilis: benignè admonitus, Francimontem abit indignabundus, & caſtrum munit.

1479. Fruſtra tentata per Conſules Leodienſes concordiâ, Marcanus armatis ſtipatus diſcurſat, & Præſuli inſultat. Proſcribitur. Sixtus IV. Pontifex Max. novis literis firmat, & auget, conceſſa per Eugenium IV. & Pium II. Eccleſiæ Leodienſi, nominatim Collegio Cathedrali D. Lamberti: de Canonicorum Leodii reſidentium prærogativis, ad percipiendos aliorum Beneficiorum fructus: de eorum exemptione, immunitate: de alternis ad conferenda Beneficia menſibus: aliiſque ejuſmodi.

1480. Conſpiratio pro Marcano, adverſùs Præſulem, Hui detegitur.

1481. Marcanus cum auxiliaribus Gallis

Gallis per patriam graſſatur, connivente Arauſicano, ſive Orangio Principe, quem Maximilianus Auſtrius Borbonio auxiliarem ſubmiſerat.

1482. Iterum fruſtra tentatâ concordiâ, Marcanus cum copiis Gallicis Leodienſem ditionem invadit. Ad Agimontem tranſito Moſa, per Condroſos ad civitatem accedit. Ad famam propè adventantis, correpta trepidè arma: Borboniusque, antè Sacerdoti multis cum lacrymis peccata confeſſus, ferente vexillum Lambertianum Joanne Hornæo Præpoſito, obviam progreſſus eſt per portam Amerinam, Auguſti triceſimâ poſt meridiem. Propè Væſium, via Grivenacenſi, pugnatum eſt. Diſſipata prima Borbonianorum manu, cæſis prætorianis, pleriſque fugâ dilapſis, Borbonius ipſe tribus vulneribus conficitur, quorum unum à Marcano inflictum. Corpus ex equo in lacunam itineris delapſum, & induſio tenùs nudatum, Franciſcani paullò pòſt extulêre: poſtridie depoſitum in æde Cathedrali. Occiſi, aut demerſi, qui Borbonio aderant, è præcipua nobilitate varii, Vogelſanquius, Vidoënus,

aliique

aliique. Captus Hornæus, poſt paucos dies, promiſsâ cûſtodibus pecuniâ, evaſit. Interim Marcanus victor eodem impetu civitatem intrat, vetitoque militi cuiquam nocere, profeſſus ſe veniſſe vindicem patriæ adversùs Borbonium: Cathedrales Canonicos cogit, ad filium ſuum eligendum in Præſulem. Canonicorum major pars Lovanium elapſa, diviſis ſuffragiis, eligit Hornæum & Croïum. Domeſtici & externi hoſtes patriam lacerant. Maximilianus Trudonopolin deditione, Haſſeletum vi capit: Leodium fruſtra tentat: Tongrim obſidione trium ſeptimanarum cogit ad deditionem. Limburgius ager, & Comitatus Hornenſis, vaſtantur à Marcanis: & Trajectenſes, Sichenium caſtrum obſidentes, magna clade afficiuntur. Ita partim ejus ætatis *Manuſcripti*, partim *Placentius* ſuppar horum temporum.

1483. Hollonium caſtrum ad Jecoram obſident Auſtriaci, & Marcanos, cum Leodienſibus copiis obſidionem ſolvere conatos, ingenti ſtrage fundunt: Beliſiam incendunt: vaſtant Loſſenſem agrum. Leodii Conſul uterque, pacem ſuadens, occiditur. *Codex manuſcriptus*

eos

eos nominat, Quintinum, agnomine non adſcripto, ex equeſtri Ordine nobilem, & Joannem Curtopium ſeu Curtogium. *Conſulares* tamen *tabulæ* hoc anno notant Henricum Seranium & Joannem Pulſorem, fortaſſe cæſis ſuffectos. Eodem tumultu alter Conſulum Huenſium plexus. Pæta, Hornæo favens, capitur à Marcanis, & Campinienſium quingenti ſupra mille pedites conciduntur. Fiunt induciæ. Romæ pro Hornæo pronuntiatur. Inſtaurata Leodii mœnia, & turres, propè portam Martinianam.

1484. Joannes Hornæus, ex Præpoſito D. Lamberti Epiſcopus Leodienſis LXXXIII. civitatem ſolenniter ingreditur, reconciliatus antè in ſpeciem cum Guilielmo Marcano.

1485. Guilielmus Marcanus, ad feſtas epulas Trudonopolin invitatus à Præſule, poſt prandium, cum ipſo, ejusque fratribus extra urbem equitans, inducitur in paratas inſidias, captusque Trajectum abducitur: poſtridie, Junii decimâ-octavâ, capite plexus, ſpectante è feneſtra Præſule. Hinc exitioſi motus à Marcana familia, apud nos præ-

H potente

potente, & Gallicis auxiliis fulta. Guido Cannæus, conniventibus Conſulibus, militem Germanum in civitatem per varios aditus immittit, eamque aſſerit Marcanis, à quibus Hornenſis Comitatus vaſtatus, Stoquemium & Haſſeletum capta.

1486. Trudonopolin Marcani capiunt, & diripiunt, Abbatemque abducunt Leodium. Cannæus Curingiam intercipit, & jam propriæ factionis caput Leodii tyrannidem affectat, intercempto Petro Roqua, altero Marcanarum partium duce, cœptaque turri ad Valburgiam portam, quæ inſtar arcis ac præſidii foret. Martii viceſimâ ſeptimâ, pueri, turmatim id opus ex improviſo aggreſſi, disjecêre. Poſtridie armati in foro cives Cannæum occidêre. Tertia die ſupplicatum ad grates Deo agendas, & Trudonēſis Abbas, vinculis liber, Venerabile Sacramentum circumtulit. Præſul Lovanio, quò cum ſuis ſe receperat, cenſuriſque adversùs perduelles pugnârat, Leodium revocatus, exhumanda, & comburenda curat Cannæi & Roquæ cadavera dein primum ſacrū facit, ipſo D.Lamberti, in æde Lambertiana

tiana, Diaconum agente patre ſuo Jacobo Hornæo, Obſervante Frãciſcano.

1487. Marcani ex Carthuſianorum domo Leodium oppugnant, & repelluntur. Francimontem fruſtra obſidet Præſul. In Vallebenedicta maniæ morbus contagioſus mirè gliſcit. Pax ſive pactum Jacobenſe deſignatur.

1488. Croïus contra Præſulem lites movet. Abſente Præſule, Francimontani Joannem Mariam, Prætorem curiæ Amerinæ, occidunt, & factionem pro Marcanis excitant, qui Martio ineunte, Urta propè Amerinam portam tranſito Leodium capiunt. Occiſi & demerſi in eo tumultu varii, in his Dobbelſtenius Canonicus Lambertianus: capti, Hornæus Præſulis frater, Prætor Leodienſis Varuſius; Horion, aliique: cædes deinde variæ in civitate patratæ, in his Tilmani Valdorealis, opibus ac dignitatibus inter ejus ævi primos, quem Valdorealis Valderedívè alterius, Borbonianis temporibus nominati, filiũ fuiſſe putamus. Spoliatis privatis multorum ædibus, diffractum etiam Palatium & expilatum, & circu[illegible]æ ludibrio Principis veſtes. Evocata denique à Marcanis

Gallica auxilia,& in Brabantiã excurſiones factæ. Pacis cupidi cives octoginta, quos Murmuratores ſeu Grognardos vocabant, capiuntur Leodii à factioſis, & mox juſſu Roberti Marcani liberãtur. Initium datur domui Eremitarum Auſtinianorum in ſuburbano Avrotano, Alexandri Seranii Canonici Lambertiani liberalitate.

1489. Moſa & Hoiolus cum ingenti accolarum damno exundant. Trajectum fruſtra ſcalis Marcani tentant. Item fruſtra Trudonopolin, junctis cum Raveſtenio copiis, oppugnant, fortiter ab ipſo Præſule defenſam. Leodii ſupplicatio ad diem tranſlati D. Lamberti, magna pietate, pro placanda ira Numinis, peragitur. Ex illo omnia Hornæo fuère proniora, & pars magna patriæ ipſi ſe ſubmiſit. Arnoldus Berlozius, militarium Præſulis copiarum Præfectus, in tumultuario propè Varemiam prælio occiditur. Colmõtium caſtrum, poſitu & operibus valdè munitum propè Tongrim, à Marcanis inſeſſum, capitur per Præſule[illegible] diruitur. Leodium fruſtra te[illegible] Canonici Regulares immigrant ad D. Leonardi, ex domo

domo ſua Bonorum Infantium. Franciſcani Obſervantes Leodii ſedem accipiunt, in loco qui Hieruſalē dicebatur.

1490. Maſecam obſidet Hornæus, & deditione recipit. Interventu Legatorum Gallicorum de pace tractatur, ſed fruſtra. Marcani, tentato Dionanto, circum Covinum prædas agunt. Eorumdem copiæ, Vogelſanquio caſtro aliiſque direptis, prædâ & crapulâ graves, delentur à Præſule, captis ductoribus. Leodii interim à ſeditioſis turbabatur, cædeſque proborum civium impunè patrabantur. Defleta inprimis mors Joannis Leporarii, caritate in egenos & piis legatis, in D. Catharinæ parœciâ, ad poſteritatem memorandi. Quamquam iſta forſan ejus patri tribuenda ſunt, qui Conſul fuit anno hujus ſæculi triceſimo ſecundo.

1491. Leodium, à Marcanis adhuc inſeſſum, fruſtra iterum tentat Præſul cum Saxone Belgarū Præfecto: Loſcaſtrum à Marcanis diripitur: utrimque cædibus & populationibus certatur. Intempeſtivo gelu & imbribus annona ingraveſcit, multique ex inopi plebe emigrant in Galliam. Induciæ fiunt.

 1492. Ca-

1492. Carolus Egmondanus cum Gallicis auxiliis Leodio tranſit, Gueldriam repetiturus. Interventore Galliæ Rege, pax fit Hornæum inter ac Marcanos: illi parum honeſta, ſed patriæ univerſæ neceſſaria, quæ, ad eam redimendam, Marcanæ genti mulctam ingentem exſolvit. Præſul Julii viceſimâ quintâ Leodium redit, tanto viſentium concurſu, ut duo ex ejus comitibus compreſſu turbæ præfocati ſint. Ad firmandam concordiam, Everardus Marcanus fit Prætor Leodienſis, ejusque filio deſpondetur filia Comitis Hornæi. Malmundarium à Longienſibus incenditur. A Præſule & Ordinibus patriæ ſtatuitur, ut Leodienſis ditio, in bellis Gallos inter ac Belgas, neutram partem ſequatur: idque ſibi gratum eſſe ſignificant Cæſar, & Rex Galliæ. A prædonibus Argentæanis vexatur Hornenſis ager, & Præſul ipſe periclitatur.

1493. Hungari, Leodienſes origine, veniunt Leodium. Præſul impetrat à Philippo Belgarum Principe remiſſionem damnorum, per Marcanos Belgis illatorum.

1494. Huum,

1494. Huum, abhinc annos aliquot Raveſtenio dynaſtæ, ob pecuniam mutuò acceptam, à Præſule obligatum, pignore liberatur. Prætorianus miles Maximiliani Cæſaris Condroſos vaſtat, & à Leodienſibus cæditur. Deinde, contra fidem datam, Interamnenſes vexat, & noctu Tongrim intercipit. Obſidetur Tongris à Præſule, magno præſertim Marcanorum ſtudio.

1495. Tongris deditur, exceduntque Prætoriani Cæſarei, dimiſsâ omni prædâ. Controverſia de damnis, per Maximiliani militem Leodienſi ditioni illatis, committitur Electoribus Imperii: pronuntiatur, debita omnia, ac pignora, ab Cæſare ac Saxone remittenda, in compenſationem damnorum. Leodium incolæ undique invitantur. Fratres Hieronymiani Leodium veniunt, brevî ſcholas aperturi. Monteforten ſe & Bullionenſe caſtra, quæ Marcani pignoris nomine retinebant, Marcanis per Luxemburgios eripiuntur, & diruuntur.

1496. Præſul it in Germaniam, comes Philippo Belgarum Principi. Everardus Marcanus, per ejus abſentiam

Interrex, moritur magno omnium luctu, ob ſuaves & amabiles ejus mores, longéque à Guilielmo fratre diſſimiles. Virgines Auguſtinianæ Sancti Sepulcri Leodium immigrant, in locum Bonorum Infantium, ſeu Leonardinorum Monachorum. Robertus Marcanus Bullionem recipit, & inſtaurat.

1497. Præſul it Bruxellas. Vadrio, ductori Prærorianorum Maximiliani, ignoſcere, & bona reſtituere recuſat.

1498. Trajectenſes Præſuli obtemperare recuſantes, excommunicantur, & parent.

1499. Legati Regis Galliæ Leodium veniunt, cum Eboràcenſi Epiſcopo, de pace Cæſarem inter, ac Gueldrum, acturi.

1500. Caſtrum Gotræum, in Hornenſi Comitatu, per Præſulem capitur.

SÆCULUM DECIMUM-SEXTUM.

1501. CRuentæ Cruces in peplis atque induſiis paſſim apparuêre: Cœptum id ſpectaculi in æde Carthuſianorum, ipſo S. Trinitatis à meridie, ubi

dum

dum in veſpertinis precibus Canticum D. Virginis canitur, ad pectus plebeii viri, ex Amerino ſuburbano, repentè Crux rubra apparuit, mox etiam alia inſignia Chriſti patientis. Ab hoc prodigio, & aliis ejuſmodi, quorum quædam recenſet *Placentius*, recitatque Hornæi ea de re literas; octingenti Leodienſes Crucem ſumpsêre, ad bellum ſacrum contra Turcas, inani & irrito conſilio. Robertus Marcanus Hornenſem agrum invadit, & comprimitur à Præſule.

1502. Urta ad pontem Amerinum fulmine inficitur, & piſces veluti veneno afflati moriuntur. Præſul Maſecam & Vertam præſidiis munit, contra excurſiones Marcanorum.

1503. It Præſul in Galliam, &, interventore Rege, controverſias omnes cum Roberto Marcano, Sedanenſi toparchâ, componit. Creſcunt querimoniæ Ordinum Leodienſium, de exactionibus pecuniariis, adversùs Præſulem, ejusque domeſticos.

1504. Placando Præſuli, & ad neceſſaria patriæ, convocato Ordinum conventu, tributum in res venales imponitur:

ponitur : vino externo pars pretii tertia, pro portione cæteris. Ita perhibent *ejus ævi Scriptores*. Supplicia de variis ſumpta, ſeu ob factiones novas detectas, ſive ob veteres ſimultates, & noxas. Decernitur colligēda pecunia pro Francimontis pignore liberando, & deponenda apud Canonicum D. Lamberti. Hornæus, ex immodica præſertim ira, morbis tentatur.

1505. Ardet equile, quod reliquum erat ex Palatio Principali Leodii. Ægritudine animi & corporis invaleſcente, Hornæus obit Trajecti, ſub inclinantem Decembrem.

1506. Subrogatur ſub annum ineuntem Erardus Marcanus, ex Canonico D. Lamberti primùm reſidente, Leodienſis Epiſcopus LXXXIV. A Deo ac religione principium rectæ adminiſtrationis ducturus, in Laurentiano primùm Cœnobio, deinde in Carthuſiano Montis Dei propè Sedanum, ad Sacerdotium ſe comparat : purgat aulam ſuam ſordibus hiſtrionum : confirmatus à Pontifice Max. Leodium ingreditur ſolenniter : Sacerdotii primitias Deo offert in æde D. Lamberti, ipſo Pentecoſtes.

coſtes die, ſpectante multitudine innumera, in qua Abbates quinque ſupra viginti: eâdem ſeptimanâ Ordines ſacros per ſe confert. Germanus miles, in Leodienſem ditionem ex Gueldria ad hiberna miſſus à Cæſare, excedere cogitur. Doniſtephani, vico Interramnenſis Leodienſium provinciæ, naſcitur Ludovicus Bloſius, poſtmodùm Lætienſis Abbas, celebri famâ ſcientiæ ac ſanctimoniæ.

1507. Præſul ad reformandam Diœceſim aggreditur, diſciplinamque in Monaſterio Hubertenſi reſtituit. *Chappavillæus* refert.

1508. Mœnia civitatis reparat: jacit fundamenta Palatii Epiſcopalis: capiti D. Lamberti parat thecam, ſtatuamque pretioſam, nec multò póſt argenteum conditorium D. Theodardi exuviis: monetam probam, & vicinis acceptam cudit. Ruræmundam, à Brabantis obſeſſam, juvant Leodienſes. In Petrenſi D. Huberti crypta curantur energumeni.

1509. Turmæ duæ equitum Dieſtemienſium Herquenrodam invadunt: accurrentibus Haſſeletenſibus civibus,

partim cæſi, partim capti, ac ſuſpenſi. Edicta promulgat Præſul: contra blaſphemos: ne quis Cruces rectas aut obliquas ferat, vel alia inſignia Principum externorum: ut prædones quivis impunè occidantur: ut ad rationariam cameram ferantur poſſeſſionum limites: & contra eos, qui præteritorum temporum acta, factionésve, aliis objicerent. Comitia Leodii celeberrima habentur: interſunt Legati Cæſarei & Gallici, agiturque de pace cum Gueldro, ſed fruſtra.

1510. Vagi, ſub mendicorum ſpecie, expelluntur. Præſul adhuc partibus Gallicis, cum Marcana gente, illigatus, legatur à Rege Galliæ ad Cæſarem Maximilianum in Italiam. Commendatione Adriani Florentii, qui, ex Lovanienſis Academiæ alumno, Caroli quinti præceptor; poſtmodum Pontifex Max. fuit, Cleri Secundarii Leodienſis prærogativæ firmantur per Julium II. Pontificem.

1511. Veterisvineti Monaſterium à Præſule reformatur, dimiſſis aliò, quæ obtemperare nolebant. Narrat *Chappavillæus.*

1511. Præ-

1511. Præſul de ſolenni D. Lamberti feſto inſtituendo ſeriò cogitat, & multis conſilia communicat. Reſtitêre, acriter & diu, nonnulli: neque enim Deus ſuos etiam huic Præſuli adverſarios deeſſe voluit, quia *ſine impugnatore virtus elangueſcit, veritas obſoleſcit.*

1513. Aſperrimâ hyeme, mendici externi Leodium maximo numero confluunt: validi proſcribuntur. Orta Leodii adversùs Conſules, ac quæſtores civitatis, de peculatu ſeditio, diligentiâ Præſulis componitur. qui, ea occaſione in publica lanificum domo de gradibus collapſus, alterum ſibi crus diffregit, difficili curatu plagâ. Ob controverſiam de tributis cum Gennacenſi oppido, Huenſes ſacris interdicti. Contra Germanum militem, in agro Leodienſi graſſantem, clientes beneficiarii omnes evocantur.

1514. Præſul donat ædi Cathedrali aulæa pretioſa. Fit Epiſcopus Carnotenſis in Gallia, quem Epiſcopatum poſt paucos annos Præſuli Tornacenſi tranſcripſit. De Hirgiano in Interamne caſtro, nuper reſtaurato, inter familias nobiles contenditur, cum periculo belli

Leodien

Leodienſes inter & Belgas, niſi pruden-tia Præſulis avertiſſet. In fodina carbo-naria, ſive hullaria, propè Væzium, centeni fermè foſſores momento obru-ti: cujuſmodi clades aliàs etiam acci-dêre, & recens Jemeppiæ, anno ſæculi noſtri quinquageſimo quarto.

1515. Abſente per iter Gallicum Præ-ſule, Everardus Marcanus, Interrex, Germanicum Galli Regis militem graſ-ſantem comprimit. Capti multi, & ho-neſtè habiti: unde obmurmurationes ortæ, quaſi Præſul cum externis con-niveret. Curingianam, & Stoquemia-nam arcem Præſul inſtaurandam curat: dicere ſolitus, *Tutò avem cavea firma ſervari.* Gueldros milites, qui circum Maſecam latrocinia exercuerant, ca-ptos, extremo ſupplicio affici jubet. D. Jacobi templum Leodii ab Abbate perficitur.

1518. Præſul, à Franciſco Galliæ Re-ge offenſus, Trudonopoli cum Legatis Caroli Regis Hiſpaniæ, Belgarum Prin-cipis, convenit. Fœdus de communi defenſione, Belgas inter, & ipſum ac Robertum fratrem, icitur. Lætus ea ſocietate Maximilianus Cæſar, jura

omnia

omnia Eccleſiæ Leodienſis confirmat: addito, ne ejus ſubditi ab externis attineri, aut in jus vocari poſſint, ne Revindicationes contra ipſos ſeu Repræſaliæ fiant, & ne ad Cæſarem, Spiramve, appellare liceat, niſi de ſumma agatur ſupra ſexcentos aureos Rhenenſes. Conſilium Ordinarium Leodii inſtituitur. Erardus fit Valentinus in Hiſpania Archiepiſcopus. Huenſis arx, Dionantenſis, Francimontana reparantur.

1519. Lues graſſatur Leodii. Alexiani fratres, ſeu Lollardi, Leodium Haſſeleto evocantur à Præſule: qui deinde, poſt mortem Maximiliani Cæſaris, multùm pro ſufficiendo Carolo allaborat.

1520. Leodium venit Carolus V. Comitante Præſule, Trajectum proficiſcitur, inde Aquas, ubi coronatur ſolenni ritu. Lutherus à Pontifice Max. pronuntiatur hæreticus.

1521. Robertus Marcanus à Cæſare tranſit ad Gallum. Longienſis arx, quam pignore tenebat, capitur de ipſo à Cæſareis, & Bullio, cujus erat præfectus. Conſpiratio pro Gallo Leodii detegitur: conjurati quidam, ex ipſis aſylis extracti, plectuntur: alios fuga ſervavit, in his

in his Roberti filium, Archidiaconum Lambertianum. Ita partim *Chappavillæus*, partim *Bononius*. Carolus firmat diploma Maximiliani, & auget ſummam, citra quam appellare Cæſarem non liceat. Induciæ fiunt cum Roberto Marcano: & Cæſar jure belli omnia ipſi à Leodienſibus debita remittit.

1522. Pileum Cardinalis accipit Erardus, miſſum à Leone Pontifice. Vetatur frumentorum exportatio, annona ingraveſcente.

1523. In conventu Ordinum patriæ, agitur de promulgando edicto Cæſareo contra Lutheranos, & tribunalibus reformandis. Gelu inſolito per menſem Julium perit meſſis, & vindemia.

1524. Rebus venalibus, pani præſertim, pretia conſtituuntur, ſalubri in omnem poſteritatem exemplo.

1526. Feſtum Tranſlationis D. Lamberti tamdem conſenſu ſancitur. Præſul ſacras veſtes pretioſiſſimas donat ædi D. Lamberti.

1527. Erardus ſibi monumentum æreum inauratum, non minùs arte, quàm materiâ, ſpectabile, ponit in æde eadem.

1528. Ex-

1528. Externus Sacerdos Leodii exuritur ob hæreſin propagatam: ſupplicio tunc, erga externos novarum ſectarum proſeminatores, non infrequenti.

1529. Pontificis aſſenſu, Cornelius Bergenſis fit Coadjutor Leodienſis. Erardus, ad omnia Belgarum de rebus gravibus conſilia adhiberi ſolitus, adeſt Cameraci Margaretæ Belgii Gubernatrici, quando de pace conventum fuit Cæſarem inter & Gallum.

1530. Erardus exequias ſibi defuncto celebrandas inſtituit. Intereſt Auguſtæ comitiis Cæſareis. Leodii artium omnium ſtudia, medicinæ inprimis, picturæ, architectonicæ, excitantur.

1531. Ferdinandus creatur Rex Romanorum: coronationi Erardus Aquis intereſt, tum abit Bruxellas comes Carolo Cæſari. Eo abſente, ingens à Ripenſibus ſeditio, & conſpiratio adverſùs civitatem, ob annonæ caritatem, erumpit: componitur, ſatagente inprimis Hornæo Præpoſito D.Lamberti, Marcano Arenbergio, Varuſio Merode, & Conſulibus Leodienſibus Suartzemburgio ac Virone. Reverſo Præſule,

duces

duces ſeditioſorum plexi, aut proſcripti: alii ignominiâ notati, & mulctati.

1532. Ad bellum Turcicum fiunt Leodii delectus, & ſumptus. Occaſione conventionis Cæſareæ, quæ Pax publica dicebatur, hæretici ſeſe Leodium inſinuant, & in eos inquiritur. Plebs contra Clerum Secundarium tumultuosè contendit de tributis: arbitro Præſule, hic illi in vinariis exæquatur ad ſexennium: ſeu, *Præſul diſſidium ſic componit, ut tam hi, quàm illi, in ſingula vini externi plauſtra florenos aureos ternos ſexennio pendant.* Ita, totidem fermè verbis, *Chappavillaus.*

1533. Præſul campana æra, unum pondo librarum quindecim millium, alterum duodecim, donat ædi Lambertianæ. Palatium, multorum annorum labore & ſumptu exædificatum, incolere incipit.

1534. Haſſeletenſes, ob controverſiam de finibus agrorum, ſumunt arma in Zonhôvios; & veniam petunt à Præſule, pœnam intentante.

1536. Erardus expertus, *publicam paupertatem ex privatis impendiis naſci, & opulentiam parari prudenter parcẽdo,*

ac benè utendo : conſenſu Ordinum, vectigalia ac cenſus communes patriæ quadriennio adminiſtrat, eamque liberat omni ære alieno. Sub id tempus, cœptum exſtrui macellum in foro ſuario, ſeu verrium areâ.

1537. Reginaldum Polum Cardinalem Erardus Leodii humaniſſimè excipit: venationes injuſſu ſuo prohibet: munit oppida contra excurſiones externi militis. Franciſcus Titelmannus Haſſeletenſis, ex Franciſcano Obſervante Capucinus, doctrinâ & virtute celebris, moritur Anticoli in Latio. Præſul, creatus à Pontifice Legatus à latere, Synodum reſtituendæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ, celebrare parat: ſed impeditur, emigrante Lovanium Clero Secundario. Milites externi, latrocinia exercentes, ſupplicio afficiuntur.

1538. Erardus in febrem incidit, & moritur, Februarii decimâ octavâ, ætatis anno ſexageſimo quinto, ſummo bonorum omnium dolore. Corpus in æde Lambertiana, cor apud Cruciferos Hui deponitur. Vel ex uno hoc Principe diſcent poſteri, *Leodienſem populum regi facilem, ſi amari ſe ſentiat, nec timeri*

meri putet. Succedit CORNELIUS BERGENSIS, ex Coadjutore Leodienſis Epiſcopus LXXXV. Militem exauctorat: Anabaptiſtas punit, qui, ex Anglia ejecti, in Germaniam inferiorem ſeſe infuderant.

1539. Proditio pro Juliacenſi Duce detegitur Leodii, & quidam puniuntur, elapſo fugâ capite proditionis Anderlino. Ad ſecuritatem publicam multa edicuntur: in his, ut exteri, mendicantes per hyemem, è civitate intra triduum excedant. Trajecti coortâ pro Juliacenſis Ducis partibus factione, occiſus Gorrius urbis Præfectus, & alter Conſulum.

1540. Amerina porta, & pons, qui anno triceſimo tertio corruerat, inſtaurantur. Rurſus edicitur contra Mendicos, Vagos, Ægyptios, ſive circulatores, qui ſe fuſcata facie Ægyptios mentiuntur. Ferdinandus Rex Leodii excipitur: cum eo Præſul it Bruxellas: agitur de Georgio Auſtriaco Adjutore creando, qui etiam fit Canonicus D. Lamberti. In quinque regiones diſtribuitur civitas Leodienſis, ad ordinem militarem.

1541. Ex

1541. Ex vico Anſio inundatio damnoſa irrumpit in civitatem, aquis per Palatium procurrentibus, ad aram uſque principem ædis Lambertianæ. Leonardina porta munitur. Martiniani templi ædificatio urgetur.

1542. Contra Turcas miles à Leodienſibus ſcriptus retinetur, ad patriæ neceſſaria. Cæſar, quà Princeps Belgarum, ratas habet conventiones de judiciis, aliiſque, quas delegati ſui & Præſulis Leodienſis conceperant. Creſcentibus inter vicinos Principes bellis, præſidiarii in oppidis collocantur, civitas munitur.

1543. Conjuratio pro Gallo Leodii detecta, & puniti quidam ex utroque ordine. Mittitur à Rege Galliæ fæcialis Leodium, qui expoſcat, de obliterata controverſia, ob Guilielmi Marcani ſupplicium. Gallicus miles agrum Leodienſem infeſtat.

1544. Abdicat Cornelius Bergenſis: & GEORGIUS AUSTRIACUS, ex Archiepiſcopo Valentino,& Coadjutore Leodiēſi, fit Epiſcopus Leodienſis LXXXVI.

1545. Renaſcuntur Ordinum & Præſulis controverſiæ, de tributis, cum

Clero

Clero Secundario. Murus ducitur ad Moſæ litus, ubi majorum navium portus eſt. Sub idem tempus ſtrui cœpta domus Ponderis publici.

1546. Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus ob hæreſin damnatur, & poſteà exauctoratur. Moneta Anglica adulterina igni damnata Leodii. Cum Maria, Hungariæ Regina, Belgarum Gubernatrice, fit Binchii primus contractus, de Mariæburgi in ſolo Leodienſi inædificatione: promiſſo in permutationem Heriſtallo, eaque lege, ut præſidiarii Mariæburgenſes nihil umquã hoſtile tentent adversùs Leodienſes, etiam bello Leodiẽſes inter & Belgas naſcẽte.

1547. Salubre edictum proponitur contra noctivagos: item contra geſtantes arma, ſi ex officio, aut gradu, ipſis non liceat.

1548. Bruxellis iteratur de Mariæburgo tractatus, & promiſſa. Leodii de ambitu inquiritur: exuruntur libelli famoſi contra Miniſtros Principis, ac civitatis ſparſi. Fit Synodus, cujus decreta edita ſunt. Clerus à Principe ad ſubeunda tributa communia inducitur, ſpe bonæ adminiſtrationis.

1549. Agi-

1549. Agitur de eligendo in Coadjutorem Auſtriaci Roberto Bergenſi. Præſul, & Collegium Lambertianum, ratum habent contractum de Mariæburgo, cum cõditionibus adjectis. Aurotana porta lapide quadrato ædificatur.

1550. Edicitur contra frumentorum exportatores, & importatores externæ monetæ non probæ.

1551. Auctoritate Cæſaris, publicatur reformatio tribunalium profanorum, ſeu laïcorum, facta per Præſulem. Guilielmus Pictavus, ſive à Pictavia, Leodienſis Scholaſticus, ſapientia & doctrina clarus, mittitur à Præſule ad Tridentinũ Concilium. *Chappavillæus* refert. Conſtat etiam eodem anno interfuiſſe Gerardum Grosbecanum, tunc Decanum Leod. cum Gregorio Silvio, è Dominicanâ familiâ Theologo, poſtmodùm Epiſcopo Tagaſtenſi, & Leodiẽſi ad Ordines Vicario ſeu Suffraganeo. Galli hoſtiliter agunt in ditione Leodienſi: bona illis militantiũ publicantur.

1552. Bellorum à vicinis metu miles legitur, ex conſenſu Ordinum patriæ. Bullio turpiter deditur Gallo per Propræfectum, antehac fortem & fidum.

Clerus

Clerus Secundarius recuſat pecuniam conferre, pro alendo milite: ſed à Præſule ſuaviter perſuadetur. Abſolvitur portæ Valburgiæ munitio.

1553. Reformationes tribunalium ſacrorum, per Pontificem Max. approbatæ eduntur. Agi incipit de Epiſcopatibus novis in Belgio erigendis. Qui Bullionem dediderat, capite truncatur Leodii: filius, quem medicum Præſulis fuiſſe aiunt, mœrore contabeſcit.

1554. In comitiis Circuli Veſtfalici Præſul queritur, de inædificatis per externos Principes ſolo Leodienſi munimentis, & pagis abſtractis: ſeu ſeriò quereretur, ad tuendum, ex officii debito, jus ſibi creditæ ditionis: ſive in ſpeciem, ne videretur id feciſſe, quod feciſſe putabatur. Ita plerumque operoſiſſimè amolimur, quod maximè volumus, & *affectata excuſatio accuſatio eſt.* Galli, capto Mariæburgo, Bovinio exuſto, Dionantenſem urbem & arcem, propugnante fortiter Berlamontio Floione, ad deditionem cogunt, honeſtis conditionibus, quas tamen non integra fide ſervavêre, abducto in Galliā Berlamōtio, & parte præſidii cæſa.

1555, Leo-

1555. Leodii leges fiunt de ambitu, & juramenta præſcribuntur, quorum pleraque poſtmodum in ludibrium verterunt. Carolimons ſolo Leodienſi inædificatur, cum novis promiſſis. Covinum à Macerienſi Præfecto capitur. Piè moritur Theodoricus Hæſius, Canonicus Lambertianus, nuper Adriano VI. à conſiliis, & confeſſionibus. Robertus Bergenſis Adjutor Auſtriaco deſignatur. Leonardina porta perficitur.

1556. Petitur promiſſa pro Mariæburgo, & Carolimonte, compenſatio; & differtur.

1557. In comitiis Ordinum ſtatuitur de compenſandis, qui damna in defenſione patriæ paſſi erant. Lamberti-vallenſis ædes fulmine uritur. Philippopolis ſolo Leodienſi inædificatur. Moritur Georgius Auſtriacus, & ſepelitur in æde D. Lamberti. Succedit Robertus Bergensis, ex Coadjutore deſignato per Georgium, Leodienſis Epiſcopus LXXXVII. Fit Sacerdos, ſolenniterque Leodium ingreſſus, primùm ad aras facit in æde D. Lamberti, Decembris decimâ tertiâ.

1558. Mendici vagi, & externi ar-

mati, civitate & patriâ pelluntur.

1559. Epiſcopatus novi in Belgio eriguntur, ingenti finium Leodienſis Diœceſis decremento, è qua ſubnatæ, aut ex toto, aut ex parte, Diœceſes quinque. Promisêre Summi Pontifices aliquam ejus detrimenti compenſationem quæ adhuc expectatur.

1560. Interamnenſes, ob damna per calamitates bellicas perpeſſa, tributis exonerantur. Pace Cameracenſi, Covinum, & Bullio redduntur Leodienſibus. Pius IV. Pontifex decidendis Ordinum & Cleri Secundarii controverſiis, decernit, tributa per Præſulem, Ordinum aſſenſu, impoſita, ſeu, *quidquid ratione communis ſubſidii publico conſenſu factum fuerit, à Capitulis, Eccleſiis, Abbatibus, Monaſteriis, ſingulisque ex eo Clero, exigi debere.* Aſſervantur eæ literæ inter *tabulas publicas*, firmatæ etiam anno ſequenti: quibus tamen Clerum Secundarium non ſtetiſſe, mox intelligetur, & monere ſupèrvacuū eſt.

1561. Leodii hæreticorum quidam, petere auſi libertatem Confeſſionis Auguſtanæ, ab ipſis tribubus plebeiis cum convitio rejecti ſunt, præeuntibus inprimis

primis Gerardo Flerontino, & Petro Bexio Juriſconſultis: manſitque inconcuſſum *ſtatus firmamentum ſtabilis religio.* Cenſuum pars vinitoribus in regione Leodienſi condonata, ob triennalem vinearum ſterilitatem.

1563. Cum Comite Mægano, Georgii Auſtriaci hærede, controverſia componitur, depensâ pecuniâ, receptisque viciſſim tabulis rem Leodienſem ſpectantibus. Robertus, ex malignæ auræ afflatu abhinc annum corpore ac memoriâ debilis, ingraveſcente valetudine, abdicat, deſignato antè Coadjutore, ac ſucceſſore Gerardo Grosbecano. Conſilium civicum contra Canonicos Martinianos, ob eluſam appellationibus ſententiam quamdam, tumultuatur, & prohibet, ne quid illis per cives vendatur, operæve præſtetur: motus prudentiâ Grosbecani, tunc rempublicam adminiſtrantis, componitur.

1564. Abdicatione Roberti à Pio IV. confirmata, ſuccedit GERARDUS GROSBECANUS, ex Decano Leodienſi Epiſcopus LXXXVIII. Minori venatione & piſcatione civibus prohibita, Leodii periculum ſeditionis oritur, abrogaturque

que edictum. Ordinum controverſiæ cum Clero Secundario, de tributis tantiſper, amica conventione, ſopiuntur per Præſulem. Lues graſſatur: in unis Margaretanis ſuburbiis abſumpta capita circirer mille. A Novembri medio, ad inclinantem uſque Februarium, Moſa conglaciat.

1565. Obit Bergæ Robertus nuper Præſul. Gerardus conſecratur Epiſcopus. In comitiis Ordinum ſeræ querimoniæ fiunt, de damnis illatis per Epiſcopatuum erectionem, & oppidorum ædificationem. Vectigalia, Trajecti mercibus Leodienſium impoſita, abrogantur. Pontifex Max. Grosbecano indulget collationem Beneficiorum omnium, in menſibus ſuis, quomodò etiam Erneſto ac Ferdinando Bavaris poſtmodùm conceſſa eſt, ob ipſorum in Eccleſiam merita.

1566. Celebratur Ordinum conventus. Poſt iteratas de damnis, ditioni Leodienſi per finitimos illatis, querimonias, Præſul, cui, cum inſigni rerum agendarum ſcientia, aderat *Eloquentia prudentiæ aptiſſima comes*, adhortatur omnes ad avitam religionem, inter vici-

norum

norum fluctuationes retinendam: uno animo acclamant, & aſſentiuntur Ordines. Modiis cenſualibus, in annonæ ſumma caritate, pretium figitur. Præſul jubet, vi per Prætorem Foſſenſem, aliosque, coërceri præſidiariorum Mariæburgenſium excurſiones. Gheuſiorum factione Bruxellis exorta, proceres Belgæ conjurati conveniunt Trudonopoli, in Monaſterii crypta: admitti illos Grosbecanus vetuerat, ſed minis oppidanos adegerant, ut admitterentur. Conciones hæreticæ habētur in Belgio. Antuerpiâ Haſſeletum venit Hermannus Stuiquerus, ſive Caçoſus, concionibusque ad plebem excitata ſeditione, in templa & ſacra involat. Tongrim inde evocatus à paucis, ſed à pluribus excedere compulſus, Trajecti ſeditiones ſerit: Maſecam uſque diffuſa contagione, Haſſeletum reverſurus. Conſules Leodienſes Præſuli controverſiam movent, de clavibus civitatis.

1567. Cacoſus proſcribitur. Haſſeletum, apertè rebellans, obſidetur à Præſule, & ad deditionem cogitur, datâ civibus veniâ: ea lege, ut præſidium acciperent, & damna ſarcitent. Cacoſus

fœno abditus evadit. Præſul, Leodium rediens, fortuita fiſtulæ ſuæ ferreæ exploſione vulnus in pede accipit. Maſecani ſe ſubmittunt ultrò. Trajectenſibus præſidium imponitur, Præfecto Berlamontio, Regis Hiſpani pariter, ac Præſulis, nomine. Exteri, ob ſectarum & factionum metum, ex omni patria pelluntur. Decretum Concilii Tridentini de clandeſtinis matrimoniis promulgatur. Mariæburgenſes, Carolimontani, & Philippopolitani, à juriſdictione Leodienſi ſe conantur ſubtrahere.

1568. Vexatur patria ab externo milite. Leodii detectâ pro Gheuſiis conſpiratione, plexi quidam. Pro civitatis & oppidorum conſervatione ſtatuuntur, & curantur multa. Præſul cum Albano colloquitur Viſeti. Arauſicanus, cum ingentibus ex Germania copiis tranſito Moſâ, Stoquemium & Tongrim tentat: Loſcaſtrum ingreſſus, ſacras imagines diſturbandas curat: Trudonopolin proditione quorundam admiſſus, templa primùm, tum privatas ædes ſpoliat, Abbatem captivum abducit: Abbatiſſa Herquenrodana, quæ

ſe

ſe illuc receperat, mutato habitu evaſit avidas manus. Jactura Trudonenſium facilè octies centenis aureorum millibus æſtimata eſt. Monaſteria Hubertenſe, & Haſterienſe, ab hæreticis Gallis, Gheuſiorum auxiliaribus, exuruntur. Arauſicanus copias Leodio ad montem Publicum admovet, tranſitumque tentat promiſſis, & minis. Magna omnium ad defenſionem concordia, abſcedere coactus Novembris quartâ, ſuburbanas domos multas exurit, & Cœnobia Laurentianum, Ægidianum, ac Vallis-benedictæ.

1569. Carpitur extremum Arauſicanorum abeuntium agmen: captivi aliquot medio foro ſuſpenſi. Inquiſitum in cives eorum fautores, detectaque conjuratione, affecti aliquot extremo ſupplicio. Quorumdam nomina recitat *Chapparvillæus*: addunt alia *vulgares codices Manuſcripti.* Cryſtallina vitra Leodii cœpta fieri, ſumpta parte materiæ de glarea Moſana. Reginardi Epiſcopi Leodienſis corpus integrum, cum veſtibus Pontificiis, & calice argenteo, reperitur in æde Laurentiana. Patres Societatis JESU Leodii habitare inci-

piunt, excepti primùm in ædibus Lintermannorum. Hornæis fratribus exo tinctis, uno per Junium anni proximè ſuperioris, alterò paullò pòſt, Comitatus Hornenſis ad Eccleſiam Leodienſem, ut clientelare beneficiũ, revolvitur.

1570. Queritur Præſul apud Cæſarem, detentas à Conſulibus Leodienſibus claves civitatis: Cæſar mandat, ut reſtituantur. Fontis forenſis ornamenta, & propugnaculum Margaretanum perficiuntur. Expoſtulat Præſul apud Albanum, de Mariæburgenſibus auſis à mercatore Leodienſi tributa exigere.

1571. Sæpe iteratum edictum contra vagos, pro lege jubetur. Inundatione Moſæ, & Urtæ, quantâ umquam aliàs, ſubrutus pons Amerinus. Ab externo milite Robertimons, aliáque loca ſpoliantur: damna omnia æſtimantur, Cæſari exhibenda. Pius V. literis laudat Leodienſium in fide conſtantiam.

1572. Edicitur, de pontibus ac viis univerſa ditione Leodienſi inſtaurandis: & ut omnes in armis præſtò ſint contra militem externum. Pons Dionantenſis aquarum eluvie rumpitur, item Leodii pars roſtratæ turris, ad Moſæ

Moſæ & Urtæ confluentes : aliáque damna inferuntur.

1573. Ingentes querimoniæ fiunt, de bonis xenodochiorum malè administratis. Judæus, annorum octo ſupra triginta, baptizatur in æde D. Lamberti. Pretia vinis ponuntur.

1574. Præſulis hortatu, & auctoritate, Clerus uterque militem alit, pro defendenda patria contra exteros. Ludovicus Naſſovius fruſtra blandis literis tentat Leodienſes. Hiſpanicus miles Hasbaniam depaſcitur.

1575. Gregorius XIII. Pontifex gratulatorias ſcribit ad Leodienſes, de conſtantia in avita fide. Conventus Ordinum habetur, quomodò ſæpe aliàs, de rationibus pecuniariis, & contra militem externum.

1576. Miles externus patriam vexat: arma contra illum ſumpta. Trajecti cives contra Hiſpanum Præfectum tumultuantur, & malè multantur. Ubique in Belgio turbæ contra Hiſpanos. Ab Ordinibus Belgicis fruſtra contra illos Præſul, & Leodienſes, ſolicitantur. Aquæ Spadanæ frequentantur : inde rediens Dux Nivernenſis excipitur hu-

maniter à Præſule, quod & factum altero poſt anno. Præſul fit Abbas Stabuletenſis.

1577. Præſulis interventu, Joannes Auſtriacus cum Ordinibus Belgicis pacem facit Marchiæ: deinde, eo comite, Bruxellas ingreditur. Pro damnis, per militem externum patriæ illatis, poſtulatur remiſſio tributorum Imperii. Regina Navarræ, ad Spadanos fontes veniens, Leodii in Palatio excipitur, eoſq; ibidem potat: Die Aſſumptæ Virginis, ſumpto de Præſulis manibus in æde Lambertiana Chriſti corpore, ſupplicationi intereſt: Auguſti ultimâ diſcedit, proſequentibus ad Galliæ fines primoribus. In Interamne contra præſidiarios Mariæburgenſes, alioſq;, arma ſumuntur. Rurſum ab Ordinibus Belgicis fruſtra Leodienſes ſolicitantur, contra Joannem Auſtriacum.

1578. Germanus miles è Condroſo pellitur. Editur ſanctio de habitu Clericali. Tuetur Præſul ab externo milite Hornenſem, Interamnenſem, & Loſſenſem agrum, ſeriò minatus ſe bona omnia, quæ duces in ditione Leodienſi poſſiderent; fiſco addicturum, nî mox abſcede-

abſcederent. Præſidia militaria Haſſeleti, Trudonopoli, Tongri locat: excipit uxorem Ducis Parmenſis: Cardinalis pileum accipit. Pulſi è Belgio per ſeditioſos Gheuſios religioſi Leodium confugiunt. Moritur Joannes Auſtriacus ad Namurcum.

1579. Parmenſis Dux, Vertâ, Hornenſis Comitatus oppido, pulſis prædonibus potitur. Trajectum obſidet, &, poſt quadrimeſtrem fermè oppugnationem acerrimam, vi capit: cædes plurimæ ab irato, ob pertinacem defenſionem, milite, patratæ, ætatis ſexúsve nullo diſcrimine, ut interemptæ mulieres facilè mille ac ſeptingentæ numerentur: prædæ vis ingens in locuplete urbe inventa. æſtimatam longè plus decies centenis aureorum millibus, affirmat *Strada*, qui hanc hiſtoriam valdè particulatim perſequitur. Ad eam obſidionem, quia Trajectenſes etiam Præſuli, alteri domino ſuo, rebellabant, Leodio ſubminiſtrati erant foſſores cuniculariі, & tormenta majora, promiſsâ reſtitutione, non præſtitâ. Luès Autumno ſævit Leodii.

1580. Anno ineunte, Præſul Traje-

Fratrum Hieronymianorum domum inducuntur, anno ſequenti Scholas aperturi: poſtmodùm in aliis urbibus.

1582. Aquenſes tumultuari pergentes, oſtentatâ juſſu Præſulis per Hiſpanicum militem obſidionis ſpecie, magis exacerbantur. Ad Alenſonium Ducem, adſcititium Belgicorum Ordinum caput, mittitur Leodio legatus, pro coërcendo ejus milite. Covinum, Præſulis juſſu, immiſſi præſidiarii. Compreſſæ Luxemburgiorum prædationes. Intereſt Præſul comitiis Imperii, inſigni prudentiæ & facundiæ gloria.

1583. Truchſeſius Colonienſis Præſul, apertè hæreſin profeſſus, ſacris & Præſulatu movetur. Erneſtus à Colonienſibus cooptatus, militem cogit Leodii, ejusque forti ac fideli opera bello toto Colonienſi utitur, Blancarte ductore. In conventu Ordinum Leodii propoſitum, ut quod Ordines duo ſtatuiſſent ratum eſſet: graves item de injuriis ab Hiſpanico milite querimoniæ.

1584. Redit Præſul Leodium, comite Archiepiſcopo Trevirenſi, & pacem inter Belgas fruſtra tentat.

1585. Germanus miles Ducis Parmenſis,

menſis, agrum Hasbanicum vaſtans, cæditur,& vexilla ad Parmenſem remittuntur. Paullò poſt cæſus iterum in Hasbania Hiſpanicus miles. Erneſtus fit Monaſterienſis Epiſcopus. Contra militem externum oppida muniuntur. Epiſcopus Vercellenſis,Franciſcus Bonhomius, Leodii promulgat Concilium Tridentinum: ejus decreta urget: Laurentianum Abbatem decoctorem exauctorat. Sufficitur Loncinus, magnæ prudentiæ Antiſtes.

1586. Rurſum anniverſaria à milite externo in agris clades. Per penuriam annonæ, Namurcenſes frumenta Leodienſium exportari non ſinunt: viciſſim prohibetur exportatio frumentorum extra fines Leodienſes Namurcum: ita controverſia compoſita. Piè moritur Leodii Epiſcopus Vercellenſis: corpus Vercellas avehitur.

1587. Præſule per comitia Imperialia abſente, rurſum patria infeſtatur. Laudat Præſul, quòd non temerè contra invadentes bellatum ſit: mirâ ingenii ſagacitate, deprehendit in Arduenna fodinas chalchanthi, ſulphuris, aluminis.

1588. Bon-

1588. Bonnam à Batavis aſtu interceptam, ægrè cum paucis elapſo per mœnia Billæo Gubernatore, Præſul Hiſpanici militis ope recuperat: edicta Leodii pro religione, & civili re, ſalutaria promulgat: à Rutæmundanis præſidiariis defendit Comitatum Hornenſem.

1589. Baquius, Haſſeletenſis paſtor hæreticus, abdicare cogitur: Parmenſem Ducem, ad Spadanos fontes euntem, Præſul excipit Francimonte: comitiis Leodii habitis, largum erga ſe Ordinum affectum experitur: de Seminariis erigendis cogitat: Trudonopoli unum deſignatur, aliud Leodii.

1590. Præſul de finium controverſiis legatos ab Rege Hiſpaniæ impetrat: oppida præſidiis munit, & ruſticanos armat, contra excurſiones militum utriuſque partis, neutralitate licèt conſtituta, patriam vexantium.

1591. Iterum ad Aquas Spadanas veniens Parmenſis, excipitur à Præſule, Dionantenſis magiſtratus fatetur, Valciodorenſes monachos immunes eſſe onere ſexageſimi numi; à cæteris prætereuntibus pendi ſoliti; teſtes ſunt *Tabulæ publicæ.* 1592.

1592. Leges ad religionis integritatem ſervandam typographis, & ludimagiſtris, dicuntur. Tertiò ad Spadanos fontes veniens Parmenſis, excipitur à Præſule: paullò pòſt militem jubet è ditione Leodienſi excedere innoxium, & moritur Atrebati. Seminarium D. Matthæi, ſive ad Catenam, formatur ab Erneſto, firmatur à Pontifice.

1593. Erneſtus apud Summum Pont. Clementem VIII. ſeſe de multiplicibus Epiſcopatibus excuſat, & de conſecratione dilata. Hiſpanicus miles, in regione Interamnenſi tumultuans, comprimitur per Leodienſes. Rudolfus Cæſar ſententiam contra Aquenſes, velut rebelles, & contumaces, pronuntiat. Edicta contra hæreticos ſæpe repetita Leodii, & in univerſa patria.

1594. Præſul it Bruxellas, comes Erneſto Auſtriaco Belgii Præfecto: Vetat, ne Hubertenſes, ſive Andaïnenſes, quidquam Luxemburgiis pendant, cum Leodienſis ditionis ſint: In comitiis Ratisbonenſibus fortiter agit, pro avita religione, laudaturque à Pontifice. Miles Italus ditionem Leodienſem vexat, De tributorum inter Ordines Leodien-

ſes

ſes æqualitate ſtatuta eduntur, vulgò Pes novus: illo, Eccleſiaſticus Ordo ſibi tertiam ſummæ totius conferendæ partem pendendam ſumit, alias pro portione Ordines alii. Narrat *Chappavillaus*. Ex cujus fide iſthæc, aliaque ejuſmodi, recitantur. nec præteriri ſine nota, vel affectati ſilentii, vel negligentiæ potuerunt, etſi nunc antiquata ſint.

1595. In caſtrum Huenſe, raro milite ſervatum, Batavi per abrupta rupium inducuntur, Februarii quartâ, à Vorſio quodam proditore, cui Greveſſii Cancriive agnomen datum. Perendie urbs Heraugerio Bredano Præfecto turpiter dedita. Expoſtulat Erneſtus cum Batavicis Ordinibus de violata Neutralitate, & vanis excuſationibus trahitur. Legio raptim Leodii conſcripta, Capellio tribuno, tentat fruſtra urbem Huenſem, amiſſis promptioribus. Eluſo hoc conatu, advocatus è Belgio miles auxiliaris, Valentino Pardio ductore præcipuo: aliâ parte Capellius Legionem Leodienſem, cum delectis ex urbana agrariaque militia, duxit. Hi à Condroſis, illi ab Hasbania ſimul in urbem irrupêre. Cæsâ Batavorum parte, urbe

direpta

direpta, caſtrum obſeſſum, quaſſatumque tormentis. Heraugerius, deficiente pulvere, & deſperatis auxiliis, exceſſit honeſtis cōditionibus, octavo obſidionis die, Martii viceſimo. Ante deditionem elapſus Cancrius, corrupto pecuniâ Hiſpano milite, periit eodem anno in foſſis oppidi Lirani, quod intercipere Heraugerius cogitârat. Supplicia Leodii ſumuntur de uxore proditoris, aliisque, qui vel nequitiâ, vel ſocordiâ peccârant. Hiſpani auxiliares, exſolutis ſtipendiis, poſt alterum menſem in Belgium revertuntur, relicto in arce præſidio, quod etiam paullò póſt inde, juſſu Fontii Belgarum Propræfecti, deductum eſt, onere conditionéve nullâ.

1596. Erneſtus Albertum Auſtriacum, Belgii Gubernatorem, Bruxellas comitatur. Ferdinandus, ejus ex fratre nepos, Coadjutor Colonienſis, adminiſtrat Colonienſem Archiepiſcopatum, eo abſente. Alveus Notgerianus ad ſcholas Patrum Societatis inſigni ponte jungitur. Partem ſumptuum ſupplevit redemptum à reo quodam ſupplicium.

1597. Venefici, ac ſagæ, Stabuleti plectuntur, magno numero, manifeſtis crimi-

119
criminum argumentis. Vulgata præſertim fuerat contagio ex urbe Trevirenſi, tunc valdè corruptâ, malis artibus Doctoris Vlatteni, ſeu Fauſti. Sub annum exeuntem tumultus Leodii, ob duplicata vinaria ac cereviſiaria tributa, & ſexageſimi numi exactionem, naſcuntur.

1598. Ad tumultus nuntium, Erneſtus è Germaniâ advolat: non neſcius, quàm præſens ſit, *quemadmodum incendiis, ita & motibus popularibus, remedium celeritas.* Motu in præſens oppreſſo, jacta eſt in poſterum ſeditionum ſementis, tranſlatâ ob ambitum, ad plebeias tribus à Commiſſariis electione Conſularium Electorū, Trigintaduumvirûm. Aquenſes à Cæſare proſcribuntur: rebelles profugiunt: res ſacra ac civilis in ea urbe per Erneſtum reſtituitur, Stregnarte, & Chappavillæo illuc Leodio ſubmiſſis. Pōtifex Clemens VIII. Alberto Archiduci mandat, ut controverſiæ de finibus cum Præſule Leodienſi decidantur, & Archidiaconi Leodienſes in muniis ſuis non impediantur.

1599. Ad Hiſpanici militis deprædationes coërcendas, fœdus inter Germa-

Germanicos Principes initur: cui accedere Leodienſes noluêre, quòd à Circulo Veſtfalico, neque aliàs, nec nuper bello Huenſi, adjuti fuiſſent. Invito Alberto Archiduce, rursùs Hiſpanicus miles ditionem Leodienſem incurſat.

1600. Franciſcani Capucini, ex munificentia N. Curtii, ſedem Leodii accipiunt, inde alibi in variis oppidis. Præſul Leodium venit, cum Ferdinando Coadjutore deſignando. Poſt Neoportanum prælium patria vexatur ab externo milite.

SÆCULUM DECIMUM-SEPTIMUM.

1601. CÆſar, Præſulis interventu, Leodienſibus remittit duas fermè tertias debitorum Imperialium. In conventu Ordinum patriæ, Legati Belgici queruntur militem ſuum ruſticanis Leodienſibus magis odioſum eſſe, quàm hoſtilem: reſponſum, qui mitiùs agunt eos eſſe gratiores. In Transmoſana civitatis regione inchoatur noſocomium inſigne, vulgò domus Miſericordiæ, ſive Bavarica. Simul inſtitutum

ſtitutum Miſericordiæ Sodalitium, cui ſeſe multi de primoribus aggregavêre.

1602. Rebelles, vulgò Mutinati, Hiſpanici milites in agrum Leodienſem excurrunt, ſcriptisque literis minacibus, tributa exigunt. De Canonico Gambara, qui proditionem caſtri Hueniſis moliebatur, & cum rebellibus Hiſpanis conſilia communicârat, Hui ſupplicium ſumitur. Narrat *Scriptor Huenſis hodiernus.* Albertus Archidux Leodio tranſiens honorificè excipitur. Comitiis Ordinum, ob ægritudinem Erneſti abſentis, præeſt Ferdinandus. Agi incipit de erectione Seminarii Leodienſis Lovanii, quod anno ſæculi quinto factũ. Ob vectigalia vinaria, & cereviſiaria, Leodii tumultuatum, Conſulesque Joannes Jamartius, & Bernardus Tolletus, è Palatio in civilem curiam, ſeu domum civicam, à plebe extracti. A Cæſare Leodium delegatur Commiſſarius, pro componenda diſcordia, de inæqualitate tributorum.

1603. Præſul, reſtitutâ valetudine, Leodium venit, & comitia celebrat, in quibus conventum de tributis vinariis, & cereviſiariis; ac numo ſexageſimo.

Rebel-

Rebelles Hiſpani Mohanam regionem vaſtant, recuſato ipſis per urbem Huenſem tranſitu.

1604. Iidem lacerant Campiniam Leodienſem. Bræam capiunt, & obſidibus abductis pecuniam exigunt. Dux Nivernenſis, ad Spadanos fontes Leodio tranſiens, amanter excipitur. Oſtendâ captâ, externus miles Leodienſem agrum infeſtat. Coctores quidam cereviſiarii, ſeditione ob vectigal excitata, plectuntur, pars Leodii, pars Trajecti, quò abducti fuerant Heriſtallo.

1605. Anglus, fingens ſe Legatum Regis ſui ad Præſulem, alioſque proceres Germanos, Leodii lautè habetur: poſtea in Saxonis ſuſpenſus. Puer contractus, ex Margaretanis ſuburbiis, repentè in æde D. Leonardi ſanatur, clara luce, multis ſpectantibus. Poſt legitimas probationes, edita eſt ea de re propria narratio: meminit etiam *Chappavillæus*. Viri principes multi aquas Spadanas frequentant. Iis comes Lipſius, anno ante mortem, veteres amicos bonarum artium cultores, quorum tunc numeroſus Leodii proventus erat, in tranſitu reviſit. Decretum ſalubre

ſumptua-

ſumptuarium editur, de ſervandis inveſtitione & profeſſione religioſa. Conflagrat Stoquemium fermè univerſum fortuito incendio.

1606. Miles Leodii ſcribitur, ad arcendas externorum incurſiones. Cooritur ingens ventorum tempeſtas: major à rebellibus Hiſpanicis, qui Dieſtemium occuparant, deinde ab aliis qui Hamontem. Illi, tranſcursâ Hasbaniâ, in ipſum Valburgium ſuburbanum auſi irrumpere, ab Exconſule Trulletio fortiter repelluntur. In Ordinum conventu Hui propoſitum rurſus, de urgenda compenſatione oppidorum Leodienſi ſolo inædificatorum, repetendiſque prædiis, quæ abſtracta erant: obtinuiſſe nuper Stabuletenſes in ſimili cauſſa: poſſe etiam Leodienſes, niſi ſe ſinant corrumpi. Offenſus Præſul factioſorum turbis, venit tamen Leodium, & ſummâ omnium benevolentiâ atque acclamationibus excipitur. *In exortu ſeditionum, velut in tempeſtate, ſalutare populis ſidus boni Principis conſpectus.*

1607. Rebelles, qui Hamontem inſederant, ad portam uſque Valburgianam excurrunt, & domos aliquod ſuburbanas

urbanas incendunt. Miles Hiſpanicus rurſus ſe quaquaverſum in ditionem Leodienſem effundit. Menſium octo induciis Albertum inter, & Ordines fæderatos, publicatis, proſcribuntur undique rebelles Hiſpanici, & paſſim plectuntur.

1608. Intenſiſſimum gelu à decima Januarii durat, ad Martium uſque. Dionyſii Carthuſiani corpus Ruræmundæ effoditur, pollice & indice dextræ manus fermè integris. Feſti aliquot dies abrogantur à Præſule, in pauperum gratiam. Pauperes Franciſcanæ, quæ Clariſſæ vocantur, Leodium admiſſæ.

1609. Induciæ Albertum inter, & Ordines fæderatos ſanciuntur in annos duodecim, magno commercii commodo.

1610. Aquenſes hæretici rurſus tumultuantur. Præſul ad Cæſarem & Germanos proceres, pro Juliacenſibus controverſiis componendis, proficiſcitur. Rex Galliæ in procinctu belli occiditur, poſt miſſum, qui à Leodienſibus pacatum tranſitum exercitui ſuo peteret.

1611. Ulti-

1611. Ultima à Præſule comitia Ordinum celebrantur, in quibus erga illum liberaliter actum. Aquenſes multi, impendentis pœnæ metu, Leodium fugiunt: Præſul Leodienſibus per ſalubria decreta cavet ab hæreticorum contagio.

1612. Ramæus, qui cum Leodienſibus aliis diu in Germania militârat, ad ſummos denique militiæ gradus evectus, juſſu Mathiæ Cæſaris detinetur, & vitam claudit. Hiſtoriam refert *Mercurius Gallicus.* Erneſtus, Arensburgi in Veſtfalia, Februarii decimâ ſeptimâ, moritur, cum multis ſinceræ pœnitentiæ indiciis, identidem repetēs, *IESV Præceptor Miſerere mei.* Succedit FERDINANDUS BAVARUS, ex Coadjutore Leodienſis Epiſcopus LXXXX. D. Alberti Martyris, Epiſcopi Leodienſis, corpus Rhemis Bruxellas ad Albertum Archiducem defertur.

1613. Ferdinandus Leodium ſolenniter ingreditur, viceſimâ ſeptimâ Januarii, & comitia celebrat, quibus propoſita, quæ aliàs ſæpè, de re pecuniaria, de tribunalibus reformandis, de finium controverſiis. Editæ paullò

poſt de tribunalibus ſanctiones. Cœptâ à Patribus Societatis Leodii in Collegio ſuo doceri Philoſophiâ, magno jam tum diſcipulorum confluxu, Lovanienſes commoventur. Patres Angli è Societate JESU Leodii habitare incipiunt.

1614. Deſignari cœpta anno ſuperiore ædes ſuburbana D. Valburgis, jam exſtruitur. Collocantur ibi Auguſtinianæ Virgines Sancti Sepulchri, mirâ fœcunditate in urbe, & totâ Diœceſi fuſæ.

1615. Commiſſarii Cæſarei Leodium veniunt, & allaborant pro concordia, tributisque æquandis. Diploma à Cæſare ſcriptum anno decimo tertio, pro Conſulari electione, in quam ambitus & ſordes irruperant, mutandâ, offertur Conſilio civico, ſed non admittitur. Aquenſes, hortatu Arnoldi Bocholtzii Canonici Cathedralis, poſtea Præpoſiti, à Ferdinando delegati, & delegatorum ab Alberto, ſimul oſtentato per Spinolam obſidionis metu, imperata faciunt: & partim pulſis, partim plexis factioſis, religionem ac rem civilem reſtituunt.

1616. Ima-

1616. Imago D. Virginis, intra truncum annoſæ quercus Foïenſis nuper inventa, clareſcit miraculis, primùm Cellis, tum Foiæ, quò relata eſt poſt biennium, cœptaque exſtrui ædes ſacra. Editus eſt *ea de hiſtoria proprius liber,* ubi mira multa ſupra naturæ vim, poſt imploratam Virginis Foïenſis opem, patrata recenſentur, teſtata ritè, ac probata, ut fidem abrogare ſanus nemo & ſapiens poſſit. Variis deinceps paucis annis templa D. Virginis nomini poſita ſunt in Leodienſi ditione, Trudonópolin inter & Haſſeletum, in Sartano ad Huum monte, propè Martianas ad Sabin, Leodii in urbe & ſuburbanis, Deo paſſim non dubiis indiciis demonſtrante, cordi ſibi eſſe Matris ſuæ honorem; & populi avitam pietatem, à Divis Præſulibus ad nos uſque propagatam, nominatim à D. Huberto, qui dicat â D. Virginis nomini æde Lambertiana, ſimul ipſi poſt Deum, gentẽ omnẽ Tongrenſem Leodienſémve addixit.

1617. Princeps Leodium venit. Leodii in ſupplicatione publica, ob fortuitum moloſſi tranſcurſum enſe uno diſtricto, trepidatum, & latè fuga

facta, quaſi ſeditio erupiſſet. Sub hoc tempus colloquium Trajecti habetur, inter delegatos Brabantos & Leodienſes, de Bræyia vico: adjudicatur ditioni Leodienſi. Carmelitæ excalceati, & Minimi Leodium veniunt.

1618. Cometes ingens ſupraſolaris ubique cum horrore ſpectatur. Urſulinæ religioſæ Leodii conduntur: unde alia in loca evocatæ. Acceſſerunt poſt biennium Auguſtinianæ: deinde Carmelitides, Celeſtinæ, Benedictinæ, Dominicanæ, Franciſcanæ variæ, Capucinæ, Recollectæ, Conceptionenſes, Urbanianæ, Tertiariæ. In cæteris etiam ditionis Leodienſis urbibus, mirè religioſarum familiarũ numerus excrevit.

1619. Leodienſes multi in Germania militant Cæſari, magnâ fortitudinis laude. Herzinius quidam impoſtor, poſt turbas multas, confictâ proditione, & falſis accuſationibus excitatas, Leodii plectitur.

1620. Curiale templum, Salvatoris titulo, cœptum exſtrui in Glano, ad commodum ſuburbicariorum. Orphanotrophium, ſeu Orphanorum hoſpitalis domus, nuper per Gertrudem Cunotiam,

124

tiam, Servatii Vinettæ Scabini Leodienſis viduam, dotata, firmatur à Principe, datis Septēbris viceſimâ ſeptimâ literis.

1621. Annuæ de Trajectenſis Præfecti ac præſidiariorum excurſionibus, & exactionibus, querimoniæ audiuntur. Spinola copias, ad Juliacenſem obſidionem, traducit per Leodienſem ditionem innoxias.

1622. Poſt Flerucenſe prælium, transeunte per agrum Leodienſem Mansfeldico milite, vulgati paſſim morbi populares. Leodii interim Mons pietatis ad mutuum, pulſis ſanguiſugis fœneratoribus, parabatur. Collocati item poſtmodùm alii in præcipuis ditionis urbibus, legesque illis ſalubres dictæ.

1623. Comitia Imperii Ratisbonæ habita: factum fœdus Catholicum, ſeu Catholicorum Germaniæ procerum, ad quod multus miles in ditione Leodienſi ſcriptus. Amerinæ curiæ ſubditi contra Prætorem, Præfectúmve ſuum, tumultuantur.

1624. Batavus miles, prædabundus, Moſæ ripas, & commercium, infeſtat.

1625. Aloyſius Caraffa, Nuntius Apoſtolicus, Leodii habitationem figit,

omni ordini carus. Creſcentibus Leodii motibus, veniunt Cæſarei Commiſſarii, cogniturì de exæquatione tributorum, & de cauſſa Ametinorum, aliiſque.

1626. Cæſar, poſt varias Principis expoſtulationes contra civitatem, & audita Commiſſariorum ſuorum relatione, binis literis jubet, ut civitas ſtet Commiſſariorum ſuorum judicio, de concordia cum cæteris patriæ Ordinibus in tributis ſolvendis, & ut varia contra Principis auctoritatem deſignata, & tentata, reſcindantur, præſertim in electione Conſulari.

1627. Princeps ex Cæſaris voluntate mandata ſua iterat, pro reformanda Conſulum electione, & aliis publicam rem ſpectantibus Interim dum domi turbatur, & civitas factionibus atteritur: foris florebat Leodienſium nomen. In Germania non pauci, per inſignia facinora, ad ſummos militiæ gradus evaſerant, quorum aliqui obiêre, ſuperſtites etiamnum alii: nomina poſteritas recitabit. In curia Romana apud Pontificem, ac Principes Eccleſiæ, gratiâ, & dignitatibus varii pollebant: altiùs etiam evaſuri, niſi obſtitiſſet,

ſtitiſſet, *Inter cives fatale malum, invidia.*

1628. Eduntur capita quinquaginta octo, de jure Principis in civitatem. Cæſar minacibus literis jubet, civitatem obtemperare Principi, meminiſſe Paullinæ ſententiæ, & nominatim obſequi in expurgandis ſordibus,& nundinationibus, electionis Conſularis. A civitate ad Cæſarem de tota controverſia delegatus mittitur.

1629. Hibernis legionum duarum Germanicarum gemunt ruſticani Leodienſes. Cæſar decretum ſuum contra civitatem tantiſper ſuſpendit, eamque invitat ad amicam cum Principe conventionem, ſe arbitro. Fit Leodii electio Conſularis, magno tumultu, ac periculo.

1630. Ver intempeſtivum ab initio Februarii. Extinctæ Pontificis Urbani VIII. juſſu, quæ, ejus injuſſu, Jeſuitiſſarum nomen & habitum Leodii ſumpſerant, religioſæ familiæ formâ. Succeſsêre poſt paucos annos Anglicanæ Sepulchrinæ. Lagium,antiquiſſimus Hasbaniæ vicus,ab Hiſpanico milite exuritur, &Hasbania vexatur. Editur *liber,*

de jure ac dominatu Principis in Leodienſes, *titulo Refutationis.* Contra etiã ſcribitur *de jure civitatis liber*, ab ipſo ſcriptore poſtmodùm *retractatus.*

1631. Januario tonat, & grandinat, Princeps edicta de Conſulari electione, aliiſque, renovat. Francimontanorum, & Luxemburgiorum, de finibus ad Aqualiam periculoſæ contentiones oriuntur. Commiſſarii Cæſarei Leodium veniunt: paullò poſt Princeps Viſetum, tum Huum, denique Leodium, deducente Apoſtolico Nuntio.

1632. Ad Taxandriam vicum, cæſi improvisò ruſticani Leodienſes è Comitatu Loſſenſi, invitâ tamen, & damnante Iſabella Belgarum Principe. Trajectum ab Ordinum fœderatorum exercitu obſidetur, & capitur, ſervato in illud jure Leodienſis Eccleſiæ. Legati Belgici ad fœderatos Ordines de pace Leodii excipiuntur: item ex Hollandia proceres aliquot: & Sedanẽſis Princeps, Trajectenſis Præfectus, jam tum ad Catholicam religionem proclivis.

1633. Suêci, Batavorum auxiliares, Leodienſem agrum incurſant, ac depopulantur, & Rocurtio, vico civitati vicino,

cino, flammas injiciunt. Stephaninſula, ſeu Stephaniverta, magno Maſecæ incommodo, munitur ab Hiſpanis. Leodii plexus ſeditioſorum anteſignanus Simoneta. Invaluit ſub idem tempus Chiroutiorum nomen, initio, ut aiunt, ducto à veſtibus juvenis cujuſpiam, recens è Francia reverſi: qui cùm in æde Lambertiana, ubi frequens erat multitudo, apparuiſſet, femoralibus pendulis tibias fermè totas contegentibus, viſus eſt ſimilis Chiroutio, ſic vulgò hirundinem apodem vocant, plumis brevia crura contectam. Tranſiit mox appellatio ad omnes Principis fautores, quòd eo ferè habitu juvenum literatorũ plerique induebantur. Alii contra dicti Grignoutii, quod nomen Renidentes, riſumve diductis labiis ſimulantes, ſonat.

1634. Magis ac magis turbantur res civitatis. Factiones per omnia fermè patriæ oppida funduntur. Notgeri celeberrimi Præſulis exuviæ, Pontificii Nuntii Aloyſii Caraffæ juſſu, in D. Joannis ſacrario ſeponuntur, exponendæ ad publicam venerationem, cum Pontificis auctoritas acceſſerit. Navanium, munimentum ad Moſam, ingenti Vi-

ſetenſium & commercii dammo, exſtruitur ab Hiſpanis. Italicus miles hiberna occupat in provincia Leodienſium Interamnenſi. Dux Neoburgicus, ejusque filius, Leodio Bruxellas tranſeunt.

1635. Galli, cæſis in Condroſo Hiſpanicis copiis, Trajectum accedunt, inde cum Batavicis copiis Thenas capiunt, aliaque oppida, & Lovanium obſident. Solutâ obſidione, diſperſi & palabundi gregarii milites Leodium implevêre. Croatæ Hiſpanici hiberna occupant in Campinia, & Bræam tentant.

1636. Germanicæ ac Lotharingicæ copiæ in Hasbaniam, & Condroſos, ob civitatis turbas immittuntur. Vertius, Germanorum ductor, Leodienſium cohortes aliquot, inconditè progreſſas, cædit: Beliſia oppidum exuritur, incertum fortuito, an deſtinato per Croatas incendio. Inteſtinus motus Leodii erumpit, non ſine ſanguine: ſecutæ proſcriptiones. Inter Delegatos Principis, & civitatis, habentur colloquia Lamberti-valle. Tongris à Croatis intercepta, his diſcedentibus, deditur militi à civitate ſubmiſſo, qui, cùm impotenter

potenter ſe gereret, ab oppidanis expulſus eſt. Comes Naſſovius à Cæſare Leodium venit, alii etiam à variis Principibus miſſi, nutante rerum ſtatu.

1637. Scabini ad domum civicam vi abducuntur. Varfuzæus Comes, patratâ Exconſulis Ruellii cæde, occiditur, & pulcerrima domuum ad D. Joannis, ubi conducto divertebat, expilatur, & exuritur. Ab eâ cæde atque incendio, ad ſanguinem ac prædam diſcurſatum, à confuſa, & maximam partem incognita multitudine, ex colluvie advenarum. Eodem tumultu Patres Societatis Leodio pulſi, mox honorificè revocantur. Per eos dies, quantum fermè aliàs umquam, civitas ſenſit, quàm violentus ſit impetus armatæ & concitatæ *plebis, quæ ubi ſemel impulſa eſt, teli inſtar revocari nō poteſt.*

1638. Cæſareus miles Aquas occupat. Ex Brabantia in Hollandiam tranſiens Maria Medicæa, Galli Regis mater, honorificè excipitur Trudonopoli. Piccolominius per Hasbaniam copias Audomarum traducit, innoxio prorsùs tranſitu. Rupefortius Comes, à Principe delegatus, præſidet comitiis patriæ, in

quibus multa decreta, præſertim de repetendis prædiis, quæ finitimi à ditione Leodienſi abſtraxère.

1639. Hiſpanici milites rursùs hiberna in vicis, & oppidis, Leodienſium Interamnenſibus invadunt. Februario æſtus intempeſtivus, puerique in Moſa natare viſi: contrà, gelu exeunte Maio, æſtasque frigida, & totos fermè quatuor menſes perpetuos Leodii pluit. Miles Leodii contra Principem ſcriptus, occupato Huenſi ſuburbano, inde mox depellitur per militem Principis. Trudonopolin Princeps venit, ibique, evocatis Leodio Canonicis Cathedralibus, fit Ordinum conventus, & cœptum agi de pace, Tongrenſi oppido ad tractatum deſignato.

1640. Terræmotus, manè Aprilis tertiâ, ſentitur in univerſa Leodienſi ditione, latéque in vicinis provinciis. Tumultuatur Leodii miles conductitius, pro ſtipendiis, & ad varias domos, præſertim ſacras, minabundus diſcurſat. Pax Tongrenſis promulgatur. Princeps Leodium intrat: quidam, ſibi malè metuentes, profugiunt. Dionanti, Junio menſe, tempeſtas horrenda

effu-

effuſis imbribus ingruit, ab Interamne præſertim, cum ingentibus damnis. Foſſæ à Lotharingis obſidentur, & capiuntur, eoſdem paſtus poſtmodùm ſæpè repetituris.

1641. Januario tonat, cum damnoſis procellis. Hoiolus exundat magno oppidanorum Huenſium detrimento: ſecuta ibidem poſt biennium longè majora damna. Haſſi ab exulibus contra patriam ſolicitantur. Princeps Leodium venit, ad tempus electionis Conſularis.

1642. Haſſi agrum Leodienſem vexare pergunt, eorumdem exulum impulſu.

1643. Inundat Moſa Leodii, altiùs quàm aliàs umquam. Subruitur pons arcuatus, ſeu quo Moſa jungitur: aliaque damna privatim, ac publicè, inferuntur. Corpus Mariæ Medicææ, Galliarum Reginæ, Leodio transvehitur in Galliam, poſtquam ei parentatum in æde Cathedrali D. Lamberti. Armatâ militiâ urbanâ & agrariâ, Gronsfeldium caſtrum de Haſſis recuperatur. Auguſto ſentitur Leodii terræmotus, velut ſupernè ortus.

1644. Fe-

1644. Februario, Lotharingus Stabuletum & Malmundarium tentat, repelliturque ab auxiliaribus Leodienſibus. Namurci per revindicationem, ſeu repræſaliam, detinentur cives Leodienſes: ſed paullò pòſt liberari jubentur.

1645. A Lotharingis & auxiliaribus, anno ſuperiore exeunte, & hujus initio, vexatur regio Interamnenſis. Serpebant interim Leodii, ſub fallacibus cineribus, non benè extincti factionum & diſſenſionum ignes. Dux Longavillanus, ad pacem Monaſterienſem à Rege Galliæ Legatus, Dionanti, Hui, Leodii, cum multis honoris teſtificationibus excipitur.

1646. Intenſiſſimo gelu Moſa conglaciat, fitque etiam curribus transmeabilis. Longavillani uxor Leodii humaniter excepta. Leodii in Conſulari electione armatæ factiones pugnant, & cædes patrantur: exules in civitatem revertuntur: cives multi, contra fidem datam, ejiciuntur. Foſſæ Lotharingis poſt acrem oppugnationem deditæ, & ruſticani præſidiarii malè habiti.

1647. Tur-

1647. Turbato publicè rerum Leodienſium ſtatû, per accuſationes, proſcriptiones, exilia: privatim etiam multa in domibus ſacris, ac profanis turbata ſunt, gliſcente paſſim diſcordia.

1648. Princeps Viſetum venit, & Ordines patriæ convocat: Leodium inde veniens, excluditur. Huum diſcedit, habitiſque comitiis, illuc evocat Collegium Cathedrale, & tribunalia.

1649. Cæſo ad Jupiliam Conſule Henneto cum ſuis, obſeſſum ab Ameriana ac Martiniana porta Leodium, & deditum: capti factionis anteſignani, & plexi. Monti Valburgiano præſidium imponitur, & portæ tres præſidiariis ſervandæ attribuuntur. Nova formula Conſularis electionis editur, per quam Commiſſariis aliquid auctoritatis priſtinæ redditum. Privati tribuum plebejarum cœtus vetantur, ſtatuiturque, ubi & quomodò deinceps conveniant. Maximilianus Henricus, Ferdinandi ex fratre nepos, Colonienſis Coadjutor, fit etiam Leodienſis. Diſcedit Princeps, relicto ad res ordinandas nepote. Edicta varia, reſtituendis omnibus reipu-

reipublicæ partibus, proponuntur : de abolendis factionum nominibus, de re monetaria, militari, frumentaria, de externis ac vagis : aliáque olim ſæpè repetita. Quod ante fruſtra tentatum ſæpiùs fuerat, de reſtringendis funerum ſumptibus, vinariiſque largitionibus, jam ſalubriter in uſum adducitur.

1650. Suêci, magno patriæ detrimento, addicta ſibi Monaſterienſi pace tributa exigunt. Lotharingi hibernis ruſticanos premunt : armatos cædunt Montenaci. Moritur Ferdinandus Arensburgi, Septembris decimâ-tertiâ ſubitò, ſed non imparatus. Succedit MAXIMILIANUS HENRICUS BAVARUS, ex Coadjutore Leodienſis Epiſcopus LXXXXI. Periculosâ gregariorũ militum, ad ſeditionem concitandam conſpiratione Leodii oppreſsâ : per reorum aliquot ſupplicia, *Salubri ſeveritatis exemplo, diſciplina ſancitur.*

1651. Suburbana Cœnobii Laurentiani domus ad Quinquemîſilvam, à Lotharingis ex improviſo capta brevî recipitur. Adoleſcens Judæus, Chriſtianam religionem amplexus, in æde D. Lamberti baptizatur. Primũ ſacrum

Leodii

Leodii facit Princeps, die Sanctorũ omnium, ingenti Cleri, ac populi, affluxu. Lotharingi rursùs hibernâ occupant in patria Leodienſi, per ſpeciem auxilii quibuſdam ferendi, & abolendorum tributorum. Urbs Vervia munitur. Mazarinus Cardinalis, è Francia profugus, à Principe, ut eam dignitatem & fortunam decebat, excipitur.

1652. Trudonenſes contra præſidiarium, auxiliarémve militem, tumultuantur. Cleri Secundarii controverſiæ de tributis, adversùs Ordines, ac populum, renovantur. Exſtruitur Leodii privatis impenſis domus, ubi pauperes, Dominicis diebus in doctrinâ Chriſtiana inſtituuntur. Tongrenſes triduo in Conſulum ſuorum electione diſceptant. Princeps ex magna ægritudine convaleſcit, & Ratisbonam it ad comitia Imperii.

1653. Cometes ſupraſolaris, octuplo minor comete anni decimi octavi, paſſim ſpectatur. Condæani & auxiliares vi Covinum capiunt, ibique poſtmodum à Rocroiano milite Gallico occupantur. Interamnenſem regionem & Condroſos vaſtant: Rupeforte repel-

luntur-

luntur, amiſſis tormentis majoribus: Cennacum illis, poſt ſeptidui oppugnationem, deditur, præſidiariique contra fidem datam; pars mactantur, pars captivi abducuntur. Cædibus & incendiis paſſim ſævitur. Spadanæ aquæ per æſtatem frequentatæ, deſignataque oppidi munitio. Creato comitiis Ratisbonenſibus Romanorum Rege Ferdinando IV. Princeps Leodium venit, & ſacrum facit in æde Lambertiana, ipſo D. Lamberti die, magna Ordinum omnium pietate & concurſu. In conventu Ordinum conſtituitur, de ſcribendo milite, adversùs hiberna & graſſationes externorum militum: & de fœdere cum vicinis Imperii Principibus ineundo. Exeunte anno Covinum rurſùs à Condæanis occupatur: Florinæ item: deinde Foſſæ, poſt ſextidui oppugnationem: tum Caſtelletum. Lotharingi Varemiam, ab oppidanis deſertam, inſident, & inde quaquaversùm excurrunt.

1654. Tudinium decimo-ſexto oppugnationis die, Januarii decimo-quinto, erumpentibus acriter civibus, obſidione Condæanorum liberatur. Benè meritis

meritis à Principe conceſſum jus geſtādi gladii & venationis, datum Fortium Tudinienſium nomen, vectigalia ad muniendum oppidum in annos aliquot attributa: ut monumento pariter, & *incitamento ſit poſteris non indonata fidelitas.* Lotharingi, & eorum auxiliares, Loſcaſtrum capiunt, Hasbaniam & Campiniam vaſtant: Herquenrodam, aliáque cœnobia expilant: Beliſiæ, nullo ſacri profaníve diſcrimine, graſſantur, velut in urbe vi captâ: Beringam penitùs exurunt: tantūdem fermè Hamonte faciunt: Hercam improvisò occupant. Trudonopolin circumſeſſam miles à Principe ſubmiſſus, Abbatisque vigilantia, & civium concordia per Abbatem conciliata defendêre. Collocata etiam Haſſeleti, & Tongrî, præſidia: equitesque in variis ſtationibus diſpoſiti; & fatigatæ aſſiduis incurſionibus adverſariorum copiæ. Adeſſe jubentur à Principe in armis clientes beneficiarii, & partim eorum impenſis legio equeſtris conſcribitur. Triduanæ preces in æde D. Lamberti indicuntur Februarii viceſimâ ſecundâ: inde in aliis ædibus ſacris continuatæ. Nuntiatur
interim,

interim, captum Bruxellis, Hiſpani Regis juſſu, Carolum Lotharingiæ Ducem. Galli auxiliares, ex conditionibus pacis Monaſterienſis, ad pellendum ex agro Leodienſi externum militem, veniunt : & poſt aliquam in Condroſis moram, in agrum Limburgium tranſeunt. Eodem tempore ab Imperii Principibus, aliiſque ex pace Monaſterienſi fœderatis, auxilia parabantur. Interventore Legato Cæſareo, delegati Principis noſtri, & Belgarum, Thenis colloquuntur. Convenitur de conditionibus pacis: & auxiliares Galli ex agro Limburgio per Francimontanum abeunt. Condæani, & Lotharingi, Leodienſi ditione univerſa excedere jubentur. Hi ante diſceſſum Pæram oppidum exuſsêre. Illi Covinum retinuêre, & tributis Interamnates preſsêre: etiam poſteaquam Cæſar, & Rex uterque, ratam pacem Thenenſem habuerunt, ubi inter alia cavetur, ut deinceps ditio omnis Leodienſis à quovis milite externo tuta ſit, & quicumque in ea prædas agent, pro latronibus haberi, & impunè occidi poſſint. Quamquam poſtmodùm Covinum recupera-

cupera-

cuperatum eſt, præſidiariique impoſiti, & compreſſi non ſemel forti ac fideli eorum operâ prædones. Sed nos in deſiderata Pace compendii noſtri finem facimus: antè Deum precati, ut eam domi ac foris ſtabilem eſſe velit, foveatque & augeat, *cum vicinis amicitiam, inter cives concordiam, pulcerrimum urbium ornamentum & validiſſimam munitionem.* Firmetur interim, & accreſcat in dies unanimi omnium conſenſione, *amor Principi certiſſimus obſequii magiſter, Eccleſiæ ac Clero reverentia, Nobilitati dignitas, Populo ſecuritas, Ordinibus univerſis perpetua in avitæ religionis, & boni publici, quo nihil divinius eſt, conſervationem conſpiratio.*

FINIS.

AD LEGIAM

APPENDICULA DE NOMINE SUO.

Sive dedêre tuum Leges *tibi*, Legia, *nomen:*
Seu quia nos unâ relligione ligas.
Seu fidam, *ac* propriam, *te Francica lingua vocavit:*
Sic dici à caſa ſeu legione *voles.*
Triſte ſimultates caſis, genus, hoſtibus adde,
Quæ tibi ter geminâ plus legione *nocent.*
Tum ſtabili nexu Pietas, Æquumque, Fidesque,
Conjungent cives, mutua vincla, *tuos.*
Sic meritò fuerit nomen tibi Legia, *ſic te*
Cernemus ſummis urbibus ire parem.

Legiam à lege, vel à ligando, dictam putavêre, qui olim de Notgero apud Ægidium cecinerunt : *Legia, lege ligans cum Prælatis tibi Reges : Notgerum Christo, Notgero cætera debes.* A *legione* Romanorum eo loco cæſa Hubertus Thomas deducit : idem Sabinarium vicum, Aurotum, Petroſum, à nominibus cæſorum Romanorum, Titurii Sabini, Avrunculei Cottæ, Petroſidii Aquiliferi. Verùm id magis argutè quàm verè dictum eſſe neceſſe eſt, ſi Vatuca, quam Βαζούταν Græca Cæſaris verſio appellat; collocanda eſt trans Moſam, ut arbitrabamur, & ex ipſa Cæſaris narratione apparet. Nomen itaque *Legia* à voce Francica *Lige* videtur repetendum, quomodò & nomen Leodii à *Leode*, & *Alode*, vocibus itidem Francicis, quæ propriam ſupellectilem, & legitimam hæreditatem ſignificant. Nam quod aliqui Legiæ nomen à rivulo *Legia* trahere voluerunt, qui Teutonicâ linguâ parvulum ſignificare dicitur, id nimis longè repetitum eſt.

INDEX
SÆCULORUM
CHRISTIANORUM.

Et in iis ſeries Epiſcoporum Tongrenſium, ſive Leodienſium.

Trajectenſium Epiſcoporum non meminimus, quia nuſquam in Conciliis, aut literis Pontificiis, mentio fit: Eccleſia Trajectenſis, ſed ſemper Tongrenſis primùm, deinde Leodienſis. Fruſtra itaque contra hanc Eccleſiæ conſuetudinem adducentur privati. quivis Scriptores, priſci, aut recentiores, qui ſæculis ſexto aut ſeptimo Epiſcopos noſtros, à loco habitationis, Trajectenſes minùs aptè nominant. Conſulant, quibus otium eſt, ea de re Vindicias Eccleſiæ Tongrenſis. Quo in libellulo, immeritò conqueritur Scriptor Diatribarum de Epiſcopatu Trajectenſi, & de tribus Dagobertis, ſe non ex fide tractatum. Patebit legenti, & comparanti. Nobis longiores de re ſatis apud cordatos manifeſta, aut potiùs de nomine, lites ſerere conſilium non eſt.

SÆCULUM CHRISTIANUM PRIMUM. pag. 5
Primus Epiſcopus D. Maternus. 8
SÆCULUM II. 9
II. D. Navitus. ibid.
III. D. Marcellus. 10

Series Epiſcoporum.

	SÆCULUM III.	10
IV.	D. Metropolus.	ibid.
V.	D. Severinus.	11
VI.	D. Florentius.	ibid.
VII.	D. Martinus.	ibid.
VIII.	D. Maximinus.	12
IX.	D. Valentinus.	ibid.
	SÆCULUM IV.	13
X.	D. Servatius.	ibid.
XI.	D. Agricolaus.	19
	SÆCULUM V.	ibid.
XII.	D. Urſicinus.	20
XIII.	D. Deſignatus.	21
XIV.	D. Renatus.	22
XV.	D. Sulpitius.	ibid.
	SÆCULUM VI.	23
XVI.	D. Quirillus.	ibid.
XVII.	D. Eucherus.	ibid.
XVIII.	D. Falco.	ibid.
XIX.	D. Eucharius.	24
XX.	D. Domitianus.	ibid.
XXI.	D. Monulfus.	25
XXII.	D. Gondulfus.	26
	SÆCULUM VII.	ibid.
XXIII.	D. Perpetuus.	27
XXIV.	D. Ebregiſus.	ibid.
XXV.	D. Joannes Agnus.	28
XXVI.	D. Amandus.	29

XXVII.	D. Remaclus.	30
XXVIII.	D. Theodardus.	ibid.
XXIX.	D. Lambertus.	32
XXX.	D. Hubertus.	37
	SÆCULUM VIII.	37
XXXI.	D. Florebertus.	40
XXXII.	Fulcarius.	41
XXXIII.	Agilfridus.	ibid.
XXXIV.	Gerbaldus.	43
	SÆCULUM IX.	43
XXXV.	Valcandus.	ibid.
XXXVI.	Pirardus.	44
XXXVII.	Hircarius.	45
XXXVIII.	Franco.	ibid.
	SÆCULUM X.	50
XXXIX.	Stephanus.	ibid.
XL.	Richarius.	52
XLI.	Hugo.	53
XLII.	Farabertus.	54
XLIII.	Ratherius.	ibid.
XLIV.	Baldricus.	55
XLV.	Eraclius.	ibid.
XLVI.	Norgerus.	57
	SÆCULUM XI.	61
XLVII.	Baldricus II.	ibid.
XLVIII.	D. Volbodo.	63
XLIX.	Durandus.	ibid.
L.	Reginaldus.	64

LI. Ni-

LI.	Nithardus.	65
LII.	Vazo.	66
LIII.	Theodvinus.	67
LIV.	Henricus.	70
LV.	Obertus.	72
	SÆCULUM XII.	73
LVI.	D. Federicus.	75
LVII.	Albero.	76
LVIII.	Alexander.	77
LIX.	Albero II	78
LX.	Henricus Leianus.	80
LXI.	Alexander II.	82
LXII.	Radulfus.	ibid.
LXIII.	D. Albertus Lovanienſis.	85
LXIV.	Albertus Cuiquius.	86
	SÆCVLVM XIII.	88
LXV.	Hugo Petrapontius,	ibid.
LXVI.	Joannes Apianus.	94
LXVII:	Guilielmus Sabaudus.	97
LXVIII.	Robertus Lingonenſis.	ibid.
LXIX.	Henricus Guelder.	98
LXX.	Joannes Engienſis.	105
LXXI.	Joannes Flander.	107
LXXII.	Hugo Cabilonenſis.	109
	SÆCVLVM XIV.	112
LXXIII,	Adolfus Valdegius	ibid.
LXXIV.	Theobaldus Barrenſis.	113
LXXV.	Adolfus Marcanus.	116

LXXVI.	Engelbertus Marcanus.	125
LXXVII.	Joannes Arquelius.	129
LXXVIII.	Arnoldus Hornæus.	133
LXXIX.	Joannes Bavarus.	136
	SÆCVLVM XV.	138
LXXX.	Joannes Valenrodius.	142
LXXXI.	Joannes Hinsbergius.	143
LXXXII.	Ludovicus Borbonius.	152
LXXXIII.	Joannes Hornæus.	169
	SÆCVLVM XVI.	176
LXXXIV.	Erardus Marcanus.	178
LXXXV.	Cornelius Bergenſis.	188
LXXXVI.	Georgius Auſtriacus.	189
LXXXVII.	Robertus Bergenſis,	193
LXXXVIII.	Gerardus Grosbecanus.	195
LXXXIX.	Erneſtus Bavarus.	204
	SÆCVLVM XVII.	212
LXXXX.	Ferdinandus Bavarus.	217
LXXXXI.	Maximilianus Henricus Bavarus.	232

INDEX

136

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

Numerus paginam ſignificat.

ADuatici. 3. Opprimunt Eburones. *ibid.* Cæduntur. *ibid.* Eorum reliquiæ. 5.

Annorum numerandorum ratio. 6. 31. 43. 121.

Aquiſgranum, frequentatur. 42. 44. 45. Urbs condita, 43. Incenditur, 47. 93. Capitur, 58. Seditio, 204. 205. 211. 216. Deditio, 218. Occupatur, 227.

Auſtraſia, regnum. 23. 26. *&c.* Reges, 24. 26. 27. 29. 31. 32. Quando nomen mutârit, 45.

Bellum, Normannicum, 49. Arcejenſe, 53. Hugardienſe, 62. Friſium, 63. Campanicum, 65. Civile, 67. Friſium, *ibid.* Hannonium, 68. Civile, 76. Duraſſium, 77. Bullionenſe, 79. Namurcenſe, 81. Loſſenſe, 83. Brabanticum, 90. *&* 91. Luxemburgicũ, 96. 97. 118. Aquiſgranenſe, 99. Moſomagenſe, 99. Civile, 101. Vaccæ Cennacenſis, 105. 106. Trajectenſe, 110. Civile, 111. Brabanticũ, 114. Interamnenſe, 114. Namurcenſe, 118. Gueldrenſe, 137. Civile, 117. 119. Loſſenſe, 129. Juliacenſe, 130. Brabanticum, 121. 122. 127. 133. Civile, 125. 126. 132. 137. 138. 139. *&c.* Burgundicum, 145. Marcanenſe, 149. Civile, & Burgundicum, 157. *&c.* Marcanenſe, Civile Belgicum, 166. 167. *&c.* Gallicum, 191. *&c.* Gheuſiorum, 197. *&c.* Prædonum, vide titulo *Prædones.*

Bullio, empta, 72. Conventio de finibus. 77. Capitur, 78. 79. 139. 175. 183. 191. Reſtauratur,

ſtauratur, 176. Redditur, 194.
Canonici, 38. 53. 56. 58. 59. 62. 65. 66. 74. 89. Privatam vitam agere incipiunt. 89.
Caprimons, 47. 51. Obſidetur, 52. 53. 55. Diruitur, 58.
Cardinales è Clero Leodienſi, 85. 86. 98. 120. 145. 184. 203.
Conſules creantur, 100. Per Patricios, 134. Per tribus plebeias, 134. Abrogãtur, 142. Creantur per Commiſſarios, 144. Per tribus, 146. 211. 222. 223. 224. 230. Nova formula, 231
Covinum, emptum, 72. Incenſum, 140. Capitur, 193. 233. 234.
Dionantum, datur Eccleſiæ, 35. Caſtrum munitur, 66. 183. Seditiones, 101. 126. 134. 143. 156. Urbs capta, incenſa. 158. 159. Capta, 192.
Divorum cultus, & ſacrarum reliquiarum. 30. 32. 33. 36. 37. 40. 41. 43. 50. 55. 70. 82. 83. 92. 107. 172. 179. 180. 184. 214. 217.
Eburones. Origo nominis, 2. Gentis, *ibid.* Bella, clades, 3. 4. 5.
Edicta. 99. 108. 123. 144. 151. 180. 184. 187. 188. 191. 198. 200. 207. 208. 215. 217. 232.
Epiſcopatus Tongrenſis. 6. 8. *&c.* Non dicendus Trajectenſis, 24. 25. 41. *vide & præfationem ad ſeriem Epiſcoporum.* Quando Leodienſis dici poſſit, 52. Imminuti fines. 194.
Epiſcopus. Ad prædicandum, 28. 35. Vicarius, ſeu Suffraganeus, 49. 99. 140. 191.
Eucharistia Sacramentum. Sacrilegi puniuntur, 46. Item contemptores, 109. Defenditur contra hæreticos, 64. 103. Feſtum indicitur, 98. 100. 103. Celebratur miraculis, 117. Sacra ſolennia, *vide præſertim* 150. 160.
170.

170. 178. 179. 193. 233. 234.
Factiones. Bruſtemianorum, 71. Cucullatorũ, 113. 115. Nobilium. 110. 111. 116. 119. 122. Exlegum, 138. Antinienſium, 145. *&* 146. Fuſtuariorum, 154. Colubrinorum, 158. Marcanorum, 169. & Cannæanorum, 170. Murmuratorum, 172. Grignoutiorum, 225.
Fames. 60. 86. 93. 109. 173. 184. 185. 197. 206.
Familiæ nobiles, 61. 73. 91. 93. 106. 107. 111. 115. 119. 122. 127. 128. 139. 142. 167.
Foſſæ. 31. Dantur Eccleſiæ, 50. Muniuntur, 57. Captæ, incenſæ, 79. 140. Captæ, 229. 230. 234. Seditio, 112.
Franci. Unde. 12. Bella in Romanos, 16. 13. 15. 17. 18. Salii Franci, 15. 16. 18. 20. 21. Regni initium, 20. 21. *&c.* Fiunt Chriſtiani, 23. Bella civilia, 26. 32. *& deinceps.* Imperium illis datum, 43. Progenies Regnum, 4. 59. lingua, 59.
Francimons, datur Eccleſiæ, 49. 51. Vaſtatur, 96. 130. 162. Caſtrum ardet. 135. Munitur, 166. Obſidetur, 171.
Germani. Nomen unde, 2. 3. Imperium. 43. 51. Germania-ſecunda, ſeu Inferior, 5.
Hannonia, clientelaris Eccleſiæ Leodienſi, 69. 89. 123. 136.
Haſſeletum, 129. Captum, 168. 170. 197. Seditio, 148. 185. 197.
Hornenſis Comitatus, vaſtatur. 168. 174. 177. Redit ad Eccleſiam Leodienſem, 200.
Hoſpitalis domus, 74. 83. 84. 91. 92. 99. 127. 128. 144. 148. 173. 201. 212. 220. 233.
Huum. 9. Comitatus. 43. Datur Eccleſiæ, 59. incenditur, 68. Prærogativæ. 69. Seditiones,

nes, 75. 88. 101. &c. 117. 124. 125. 134. 138. Capitur, 159. Oppigneratum recuperatur, 175. Captum recepum, 209. Tentatur, 228.

Hunni. 17. 18. 21. Hungari vaſtant ditionem Leodienſem, 54. Leodienſium colonia in Hungaria, 149. 174.

Interrex, ſive Mamburnus. 110. 113. 116. 132. 139. 157. 176. 182.

Inundatio, 96. 97. *111. 114. 119.* 140. *141. 156. 172. 189. 200. & 201. 228. & 229.*

Leodium, 25. 37. Significatio nominis, 238. & 239. Habitatur, 37. 38. Vicus publicus, 42. Dividitur, 47. Incenditur, 47. 163. Viſitur à Cæſaribus, *42. 62. 63. 74. 77. 78. 87. 141. 183. 188.* Munitur, *59. 74. 90. 169. 179. 188. 189. 191. 192. 200.* Prærogativæ, ſeu Privilegia, *77. 87. 89. 120. 140. 141. 142.* Seditiones, *56. 100. 102. 104. 116. 118. 119. 120. 132. 134. 144. 152. &c. 158. 165. 181. 185. 195. 210. 213. 214.* Obſidetur, *168. 171. 172. 173. 199.* Capitur, *90. 160. 161. 162. 171. 231.*

Loſſenſis Comitatus, clientelaris Eccleſiæ Leod. *62. 88. 122.* Adjungitur, *124. 129. 130.*

Lotharingia. Origo nominis, *45.* Regnum *ibid. 51.* Dividitur, *47.* Præfectura regni, *54.* Ducatus, *58.* Lotharingi, *226. &c.*

Lovanium. Urbs, *48.* Academia, *144.* Obſidetur. *226.*

Maria Virgo. Templa ejus nomine Deo dicata. *8. 38. 68. 92. 96. 106. 219.* Miracula, *117. 118. 131. 150. 151. 219.*

Mariaburgum, ædificatur, *190. 191.* Conditiones, *ibid.* Capitur, *192.*

Maſeca. 50. Datur Eccleſiæ, *54.* Servatur, *137.* Capitur. *173.*

Methlinia,

Mechlinia. Datur Eccleſiæ, *51.* Inſtauratur, *57.* Obſidetur. *104.* Recuperatur, *114.* Venditur, *121.* Ardet, *124.*
Mohanus Comitatus, datur Eccleſiæ, *89.93.* Caſtrum dirutum. *132.*
Monaſteria, ſeu domus religioſæ, *26. 29.* ac deinceps paſſim, maximè ſæculis, *7. 12. 13. 17.*
Moneta, corrupta, *112. 190.* Reformata, *124. 126. 179. 232.*
Neutralitas, *174. 204. 207, 209.*
Nortmanni. Unde, *44.* Bella, *ibid. & 45. 47. 48.* Clades Leodiēſi ditioni ab illis illatæ. *47. 48.*
Paræcia, ſive ædes curialis, *44. 53. 54. 56. 57. 58. 60. 65. 66. 71. 75. 76. 80. 85. 88. 128. 144. 145. 218. 220.*
Pax, Pactum, *101. 102. 108. 117. 119. 120. 121. 122. 124. 128. 135. 137. 138. 144. 154. 171. 174. 228. 236.*
Peſtis, & alia contagia, *55. 79. 82. 107. 126. 141. 171. 183. 196. 203. 221.*
Pœnitentia, *37. 39. 64. 69. 167. 217.* Contra, *153.*
Pontifices Max. è Clero Leod. 68. 98. 103. 104. 124. 180.
Poſſeſſiones Eccleſiæ Leod. 25 31. 32. 48. 49. 50. 51. 54. 58. 59. 61. 62. 64. 66. 69. 72. 81. 88. 93. 94. 96. 97. 105. 106. 109. 112. 114. 121. 122. 124. 129. 130. 165. 192. 193. 196. 198. 204. 208. 211. 215. 220. 224. 226. 228.
Pradones, *76. 146. 147. 174. 175. 176. 179. 181. 182. 187. 198. 200. 201. 202. 204. 205. 206. 208. 212. 213. 214. 215. 221. 223. 224. 226. 228. 229. 230. 232. 233. 234. 235. 236.*
Religio Catholica, Cæpta apud nos. *8. 9.* Conſervata. *14. 185. 188. 194. 195. 196. 200. 201. 208. 217.*
Simonia. 64. 76. 78. 79. 83. 86. 88.
Spadani fontes, 8. 201. 202. 207. 208. 214. 234.
Studia literarum & artium. 55. 56. 59. 67. 74. 87. 175. 185. 205. 208. 214. 218.

Temple-

Templorum dedicatio. 8. 31. 34. 35. 38. 40. 43. 62. 65. 69. 92. 97. 98.
Tongri. Unde, 25. Romanis militant, 7. 10. 17. 21. Subſunt Francis, 20. 21. *&c.* Advatuca, ſive Tongris urbs, 3. 5. 6. 8. Deflorefcit, 17. Vaſtatur, 18. 20. Capitur, 83. 160. 161. 168. 175. 226. Incenditur, 47. 90. Obſidetur. 120.
Trajectum. 7. Obtricum, 16. Creſcit, 17. 18. Incenditur, 47. Jus Eccleſiæ Leod. 50. Aſſeritur. 104. Diſceptatur, 109. Obſidetur urbs, 110. 113. 136. 140. Præſidium imponitur. 198. 204. Capitur, 203. 224. Seditio, 109. 147. 188. 197. 201.
Tribunal. Pacis, 71. 151. Ad annulum Palatii, 138. 148. Scabinorum, 38. 100. 111. 112. 113. 125. 128. 135. 136. 154. 157. 227. Vigintiduumvirûm, 124. 131. 135. 143. 152. 156. Conſilii Ordinarii, 183. 184.
Tributa. 77. 88. 102. 108. 113. 120. 138. 163. 177. *&* 178. 186. 189. 190. 194. 196. 207. 208. *&* 209. 211. 213. 214. 218. 229. 233.
Trudonopolis, conditur, 31. Incenditur, 47. 71. 73. Permutatur, 94. Capitur, 71. 101. 126. 160. 168. 170. 198. Obſidetur, 172. 235. Seditio, 101. 102. 134. 136. 138. 233.
Tudinium, datur Eccleſiæ cum Laubia, 48. Munitur, 57. Capitur, 68. 159. Obſidione liberatur. 114. 234. 235. Seditio, 130. *&* 131.
Victoria. De Nortmannis, 49. De Friſiis, 67. De Brabantis, & fœderatis, 77. 90. De Namurcenſibus, 81. De Marcanis, 173.
Viſetum. 43. 74. Munitur, 122. Augetur, 123. Diripitur. 137.

ERRATA.

Pag. 16. l. 11. *causâ*, repone *cauſiâ*.
P. 36. l. 4. *Avrotani*, rep. *Aurotani*: & alibi, ſi occurret.
P. 43. l. 8. *didicat*, rep. *dedicat*:
P. 46. l. 10. *peridem*, rep. *per idem*.
P. 65. l. 22. *ex Cathedralis Cuſtode*, rep. *ex templi Cathedralis Cuſtode*.
P. 86. l. ult. *quadrienno*, rep. *quadriennio*.
P. 106. l. 15. *Dionantibus*, rep. *Dionantenſibus*.
P. 119. in fine ante *diuturnaque* pone: & dele poſt.
P. 127. l. 4. *Ioannes Moſtadius* &c. nota eum ſub hoc tempus hoſpitali ſuo adminiſtrando præfuiſſe: dotarat autem anno Sæculi 36.
P. 181. l. *D. Lamberti*, adde, *tranſlati*.
Poſt pag. 201. repone 202. & 203.
P. 203. l. 18. *aeſtimatam*, rep. *Æſtimatam*.
P. 214. l. 17. *in Saxonis*, rep. *in Saxonia*.
P. 212. l. 8. *ex munificentia N. Curtii*, rep. *ex munificentia partim Ioannis Curtii*.

FINE

1968

R. SALVAREZZA
RESTAURO